EVRICII CORDI

Epigrammatum Libri IX.

Marpurgi

1529.

VITTORIO EMANUEL

IHS

EXIMIO VIRO GE
orgio Sturtio Muſarum hoſ
piti Euricius Cordus
S. P. D.

*IDeo ineptire non deſino,
ut etiam, uide, nũc incipiam
rapiente me huc uel inuitũ
neſcio quo genio, Duos me-
os Epigrammatum libellos
è medio uulgo domum reuo
caui, ueritus eos, id quod res
erat, infirmiores, quàm ut fo
ris peregrinari poſſent, Quippe quos olim ceu gemel-
los, uel priuſq̃ parturirem, non dico peperi, ſed abortiui
potius. & quidem Cordus. Hos dum Iouis exemplo, ut
ad maturiorem partum coaleſcerent, mente aliquantiſp
reſouiſſē, en tertius quaſi uopiſcus prodijt, Qui æque
ac nup illi ſe Cordo patre, & adhoc uarum progenitũ
non conſyderans, mira quadam exeũdi improbitate in-
ſoleſcit. Idē renatis iam fratribus ardor, Detinui quan-
tum in me fuit impetum, ſed dum indies magis ac magis
hæc illos cupido inceſſit, emittendos ſtatui, hoc tamē cõ
ſilio ut non prius quàm tutorem, & ad quem diuertant
patronum habeant. Hic tu mi Georgi cõmodum occur-
ris, unus omnium idoneus uiſus, cui hæc pignora, atq;*

adeo

adeo uiſcera mea tuto comendem & credā, ut qui ædes tuas cōmune literatorum diuerſorium pollicitus, iam du dum in eis Muſarum nidum, quem uocas, pulcherrimo ædificio erigis. Ad quem nos, ut ſuum quiſq; ſymbolum adferat hortaris. Ego penſū meū abſolui, hos tibi hoſpi tes libellos mitto, quos ſolita tua erga doctos humanitate excipe, tutare, & foue, eorumq́; iocis animum tuum, ſi quando à ſerijs ſtudijs remittis, oblecta. Nihil eſt quod de duobus plagij crimē timeas, manumiſſi ſūt. Quis enī inuito domino ſeruiat? Tui ſunt quotquot ſunt, et quot quot olim ſunt acceſſuri. Quos eoſdem una cum illis ti bi his teſtibus dedico. Vale. Erphordiæ.

Quartodecimo Calendas Octobris Anno Milleſimo Quingen teſimo Vigeſimo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deprauata ſic corrige Lector

Folio	Col.	Verſu	Pro	Lege
L 4.	1.	4.	*faciunt*	*faciant*
N 4.	1.	19.	*ructat*	*ructatq́;*
O 4.	2.	3.	*quaatuor*	*quatuor*
O 8.	2.	20.	*ſubiectus*	*ſubiectis*
P 5.	1.	ultimo	*eſt*	*ex*
Q 8.	2.	17.	*medio*	*medium*
S 3.	2.	13.	*faciebat*	*ſciebat*
S 6.	2.	11.	*plurimum*	*plurium*

A 2 Euricij

GRAMMATVM

Liber Primus.

Ad Philippum Heſſiæ Principem Bucolicorum dedicatio.

DVm tua defūcto triſtis
ſilet aula parente,
Et ſolitæ ceßāt Cla
re Philippe tubæ,
Nullaq́; pculſas tara-
tātara uerberat auras
Nec fera te ſæuo cla
ſſica Marte uocant,
Accipe Bucolicum, ſil
ueſtria carmina, luſū,
Quos leuis, auſculta, fundit auena modos.
Sit ratio noſtri numeruſq́; precamur agreſtum.
Nam tua, ſi neſcis, nos quoq; turba ſumus.
Teq́; quotam tenuis partem dignare libelli,
Et paſtoricio fer puer ore cani.
Perlegis, an uerſo ſubeunt faſtidia uultu?
Hei mihi ſi uana credulitate fruor,
Si tibi contempto prælata pecunia Phœbo
Quæritur, & uilis Muſa uidetur honos.
Aurea cum nequeam, chartacea munera mitto,

Non precioſa minus ſunt tamen illa mihi.
Cum dabimur ærtæ, quæ demetit omnia, morti
Poſthuma uiuaci littera prole manet.

De reditu Henningi Gœdi.

Quis nouus hic plauſus, quæ tantæ gaudia turbæ,
Quidq́; quòd eſt unus clamor ubiq;, uenit?
Tecta papæ uideo carpenta, ducemq́; ſenatum,
Et ſua quadrupedans agmina denſat eques.
Quis quem purpureo tegit alta tiara rubore,
Qui lætam facilis dat recipitq́; manum?
Agnita iam facies, & honoræ gratia frontis,
Ipſe ſacri eſt Gœdus, maxima fama fori.
Quem querula abſentem dudum Reſpublica luxit,
Dum rabidus mouit uulgus ad arma furor.
Sic aberat mœſtæ proſcriptus Tullius urbi,
Sic redijt, plus eſt, quàm fuit ante, decus
Nunc maraſce, dole, nunc inuide rumpere liuor,
Quòd contendebas non fore poſſe, uides.

Ad Ponticum.

Cur mea diuulgem uix nata poemata, quæris,
Nec patiar preſſum ut uirgula ſignet opus,
Eſt eadem quæ te iam Pontice cauſſa coegit,
Turbida uix madido uendere muſta lacu.

Ad Magnum.

Ergo ne Magne doles domina quòd liber ab aula,

Tam graue nunc ceſſes uiuere ſeruitium?
Forte frequens adeo quod non marſupia nummus
Farcit, & aſſuetæ ſpes tibi nulla togæ?
Te longe melior. ſpera, fortuna beabit,
Vis modo te nuſq̃ ditior alter erit.
Fac noua cum Venetis peregre commertia tractes,
Prome piper, nardum, cinnama, thura, crocum
Nil dubito extrudes magno, uel ſingula, lucro,
Qui tanto fumos uendideris precio.

Ad Fœlicem.

Eſt mea paupertas, Fœlix, tua Copia cuſtos
Hæc noctu fures allicit, illa fugat,
Vis? tecum (mera quæ ſtupidi dementia Glauci)
Permutabo, meam do tibi, redde tuam.
Rēnuis? unius Fortunæ eſt illa poteſtas,
Si uelit hæc, nolis tu licet, illa mea eſt.

De Scæuola.

Si, quam conſultus legum ſit Scæuola, neſcis,
Mutuo da, ſi quid te rogat ille. ſcies.
Terq; quaterq; licet repetas, nil proficis, imò
Lis tibi perpetuos ſurget agenda dies.
Ex alijs alias doctus deducere cauſſas
Inuenta prorſus nil ratione dabit.
Et niſi tu caueas, quod uix potes, ipſe reum te
(Preſto ſit orator ni tibi nummus) aget.

Ad He

Ad Helium Eobanum Heſſum.

Sex quidam uerſus me forte rogauit amicus,
Dignaq; promiſit ſe dare dona mihi.
Poſt aliquot rediens ut factos repperit horas
Sex obulos alta protulit ille manu.
I nunc & miſeris nullum dic eſſe Poetis
Præſidium, mea quid det mihi Muſa uides.

In Lucium Apuleium.

Ancipiteſq; uices, indignaq; uerbera legi,
Et quicquid factus pertuleras aſinus.
Heu aduerſa nimis grauium fortuna laborum,
Quam mala tunc miſero fata fuere tibi.
Hoc noſtro, quod eras, eſſes fœlicius æuo,
Quo magis id colitur, quàm deus ipſe, pecus.
Summa rudes aſini rerum faſtigia ſcandunt,
Maximus hoc illis tempore uenit honos.
His hominum dominis diuina prophanaq; parent,
Sunt aſini reges, pontifices aſini.
Et niſi ſis aſinus nullum tibi nomen habebis,
Ac omni ſpretus deſtitueris ope.

Ad Hœnningum Gœdum

Conſpicuas multis poſuiſti ſumptibus ædes,
At quæ diuitias nil minuere tuas.
Hac prætergediens olim quis forte uiator,

Me puero hoc memini ſurgere, dicet, opus.
Et leget inciſis annum & tua nomina ſaxis.
Te clarum memorans præminuiſſe uirum.
Nempe quod ad ſummos paulatim uectus honores,
Prima bipartiti gloria iuris eras.
Sed breuis hanc famam poterit finire uetuſtas,
Dum iacet, hæc titulus poſt monimenta tuus.
Ni ſacra contigerit docti facundia uatis,
Qui celebret uerſu ſplendida facta ſuo.
Omnia rodit edax; uel ſint adamantina, tempus,
Sola uetat dignum laude Thalia mori.

Ad Pannicum.

Eſt tibi diues opum, claro ſata ſtemmate coniunx,
Cuiq; daret iudex aurea mala Paris.
Si tamen hunc patitur, quem dicit fama ueternum,
Cum tot eam nollem dotibus eſſe meam.
Quod puta tanta graues uexent obliuia ſenſus,
Vt quando extinctus, neſciat illa, pudor
Nec tibi quot peperit, ſi quæras, pignora dicat,
Quiq; ſit his, quamuis non ea mœcha, pater.

De Leone à Gal-
lis ad Gallum
adducto.

Currite ſpectatum properantes currite ciues,
Hoſpes apud Gallum dicitur eſſe Leo.
Plus mirum, Gallis ductoribus atq; magiſtris

Paret, & eſt ſocius, queis prius hoſtis erat.
Scilicet inter eos nuper concordia facta eſt.
Hoc potuit tandem longa uidere dies.
Conueniant feriantq; noua rata fœdera pacis
Nil timet hoc magni qui gerit arma Iouis.
Rex manet hic illiſq; potens dominabitur ales,
Tale licet nomen paruæ trochile uelis.

In imaginem Veneris
& Euæ.

Calue quid auerſos demittis hypocrita uultus?
Vnde nouus caſto iam ſubit iſte pudor?
Aſpice, non ego non ego ſum uicina turpior Eua,
Quinimò mediam ſe minus illa tegit,
Huic breue quam folium nobis uelamina pubem
Abſcondunt, nec tam nuda papilla mihi.
Nec uideo quo me meriti præcellat honore,
Humanum ſeruo, perdidit illa genus

In Figulinam.

Turgida iam decimum protuberat aluus in annum,
Nec graue maturo uiſcere ponis onus.
Non puto, cum paries quòd adhuc edentulus infans
Infirmo quadrupes neſciat ire gradu.
Sed modo barbatus uir erit, caliccmq; librumq;
Ad ſacra poſt patrem ferre tapeta poteſt.
Quòd tibi ſi læuo concepta eſt fœmina uentre,
Magna prius meritrix quàm releueris, erit,

Quemq; premes, una premet illa puerpera lectum,
Et quæ te matrem, lux auiam faciet
Deq; recente nouum mirabere prole nepotem,
Et dices, idem uir meus & gener eſt.

Ad Lucium.

Audio te Luci pulchram duxiſſe puellam,
Quæ ſit quo coniunx ueſpere facta parens.
O ſuper Idalias fœcunde marite columbas,
Quàm tibi fauſta Venus, quàm bona Iuno fauet.
Si quo cœpta modo ſunt hæc connubia pergent
Natorum poſces cras tibi iura trium.
Ante duos uinces Aegipti pignora menſes,
Quiq; nurus gignant deficient Danai.

In Hillum.

Quo me cunq; foro, quacunq; prehendis in æde,
Quæris an officij ſim memor Hille tui,
Quattuor inuito mihi prandia forte dediſti,
Quæ non officium, ſed uoco ſupplicium.
Mala quidem cœci, tua quàm conuiuia Phinei.
Et ſi nectarei des mihi pocla meri.
Quæ ſit cauſſa rogas? Dodonæ imitata lebetem,
Et querulis ranis æmula garrulitas.
Obtuſæ grauibus mihi hebent clamoribus aures.
Si bis adhuc tecum uixero ſurdus ero.

De nigro.

Nutilandus auribus ligatus ad palam

Circumfluo medius ſtetit Niger in uulgo
Nullumq́; tam fortem uidere ſe dixit,
Qui deſtinatas poſſet exequi pœnas.
Strictum probauit ungue carnifex cultrum,
Caudamq́; prendens hæc ait poteſt dextra.
Sed dum capillos hinc & inde reiecit
Vidit prius, quod ipſe iam uoluit, factum.
Tum maximum Niger ſolutus in riſum
Non eſt mea, inquit, ante quæ fuit Malchi
Fortuna, nec tu aures puta eſſe boletos.

In Manium.

Obijcis eſſe malum, mihi, me tenuemq́; Poetam,
Et uix ieiunam pellere poſſe famem.
Omnia mentiri ſolitum quæcunq; loquaris,
Hæc quoq; te Mani dicere falſa uelim.

In imaginem
Virtutis.

Cuius opus? Lucæ, ſed quæ pulcherima? Virtus,
Quæ tam deformis poſt comes? Inuidia,
Sed quid anhelanti ſimilis ſudare uideris?
Ardua difficili nitor ad aſtra uia

Ad Baſſam.

Te quoties offers cultam mihi Baſſa uidendam,
Oſtentas mundi quicquid ubiq; tui,
Bracteolas, zonam, ſtrophium, crinale, mitellam,

In collo torquem, Sardonicha in digito,
Prӕterea in tumidum demiſſa monilia pectus,
Queq; tegunt amplum Gallica pepla caput,
Hӕc ubi me cernis tenui contemnere riſu,
Has tua reſpondes non habet uxor opes.
Hoc equidem uerum concedo, ſed iſta miſella
Vnum habet, huic uni uultq; placere, uirum.

In Paulum.

Verior antiquis fuit ille Propheta Sibyllis
Indiderat nomen qui tibi Paule tuum
Vere es enim Paulus, tua ſi doctrina uidetur,
Quaq; dei uerbum dicere uoce ſoles,
Paulus es ingenio, Paulus uirtute, fideq;,
Et nullus docuit te quoque Chriſton homo.

Ad Luciferum,

Nobilis eſt, ut ais, credo, tua Lucifer uxor
Nimirum toti cognita quӕ populo.

Ad Scӕuolam.

Me petis ut credam paucos tibi Scӕuola nummos
Ad ſex, aut, nec eis amplius, octo dies.
Hoc illos intra ſpacium te reddere iuras,
Sed uel iurato non tibi danda fides
Forſitan ad Grӕcas differres uſq; Calendas.
Ne totum perdam do tibi dimidium.

Ad

Ad Ollum.

Cum faciat ſeptem pulchrum lepus Olle diebus
Cur tam deformis ſit tibi dic facies?
Qui tamen heſternus noſtri conuiua Placentæ
Appoſitum ſolus glutieris leporem.

De bona Erphordianorum
ualetudine.

Ite nouas alibi medici diſquirite ſedes,
Hac nullum uobis reſtat in urbe lucrum,
Sunt ualidi nec egent hic ueſtro munere ciues,
Difficilem nemo conqueritur ſtomachum,
Imò domos,agros,hortos,uineta,cohortes.
Aſſiduo,qualis ſtrutio,uentre coquunt.

In Ciliæm.

Quæ tibi tanta fauet fortuna,quod unus ubiq;
Omnia,uel nunquam perdita repperias?
Non prius inuenias,quam perdidit alter, ut ante
Quam fias æger non moriare Cilix.

In Vuidum.

Ante duos fueras,ſcio,barbarus Vuide menſes,
Et poteras docte non tria uerba loqui
Qui modo longinquis reducem te dicis ab oris
Et te grande putas hinc retuliſſe ſophos.
Quod mala corruptas balbutiat ebria uoces
Lingua,uoles iſto græculus eſſe modo?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sed tamen aſsiduus multum res adiuuat uſus,
Qui pergræcaris iugiter, eſſe potes.

Ad Canonicos quoſdam.

Præponi quendam uobis male fertis aſellum,
Indignum tali quod ſit honore pecus.
Ferte uel inuiti, quia ſic Romana poteſtas,
Sic iuſsit ſummi littera Pontificis.
Qui ſibi præponi non dedignatus eundem,
Quo ſteterat uoluit nunc quoq; ſtare loco

Ad Lectorem.

Si ſentis quod ineſt meis libellis,
Qui nudus nequeat iocus referri,
Tecum perlege, ne uel innocentes,
Vel lædas tetricas Catonis aures
Ni ſit nequitioſus & facetus
Et plenus ſale. felle, & illecebra,
Non dices Epigrammatum libellum.
Sit laſciua licet procaxq; Muſa
Caſtus ſpiritus eſt ſacri Poetæ.

In Gallum.

Quod cupis ignarum ueri tibi credere uulgus,
Credo tuus quod erat nauita Galle pater.
Qui ſemel infauſta deductus cannabe in altum,
Optatum tetigit non magis inde ſolum
Si tamen inuento piſces de funere quæres,

Non

Non ſcimus, dicent, nos, ſed aues ubi ſit.

In imaginem Diui
Chriſtophori

Quid tu magne Gygas parui ſub mole puelli
Succidis, & proni deficiunt humeri?
Et natum & matrem, uel debilioribus ulnis
Portat anus, num te fortior Anna uiro?

In Quendam improbum.

Grandia promittis, quæ nulli dona dediſti,
Extulerit laudes ſi mea Muſa tuas.
Sepius inœptum nequeo deducere carmen,
In te quod laudem tam uideo eſſe nihil
Neſcio mentiri, nec quæ tu geßeris, auſim
Dicere, ſi dicam, me tacuiße uelis.

Ad Silunum,

Curculio frumenta tibi, carnaria tarmes
Perdit, ſunt acidis mucida uina cadis,
Rancidulum putet pereunte ſapore butyrum,
Incipiuntq; putres uiuere caſeoli.
Fida ſuo domino mihi procurauit egeſtas,
Vt nequeam cupiens hæc ego damna queri,
Quæ ſi tu quoq; uis poſthac Silune cauere,
His qui non ſat habent da quod habes nimium.

Ad Vrſulum.

Te fore cauſidicum ſummis cupis Vrſule uotis,
Quàm facili, uel mox is potes eſſe, modo·

Non opus eſt ut ſis orator, garrulus eſto.
Et pergas tantum barbara uerba loqui,
Fallere, mentiri, fraudare, imponere diſcas,
Et tua peruerſo commoda iure ſequi.

Ad Aemilianum.

Nil de Phillide turpe, nil probroſum,
Nil quod dedeceat probam puellam,
Debes Aemiliane ſuſpicari
Quod ſeri monachi domum frequentant
Sancti ſunt Mariæ pijq; Fratres
Seruatoris auunculiq; Chriſti
Nec ſoli inſuper exeunt, nec intrant,
Graues namq; ſolent habere teſtes.

De Aulo & Naſone.

Sollicita dicunt Aulum tabeſcere cura,
Enixa infantem ne Figulina ferat.
Contra longa querens pariendi tempora Naſo
Omnes aſtrologos conſulit & medicos.
Vt ſit hic, argentum, ne ſit pater, ille dat aurum.
Non aliam ſatius net Figulina colum.

Hymenæus.

Ni religata meis porrexerit ora capiſtris
Legitimum thalami nemo peregit opus,
Ergo tuum nunquam cum laude fatebere patrem,
Et mala te genuit, me niſi teſte, parens.

Ad Ionam & Othonem.

Poſtq̃ nulla ſacris ſunt emolumenta Poetis,
Et ſterilem ſequitur muſica turba ſcholam:
Vos mihi conſulti dubijs in rebus amici,
Cauſidicum Iona uis Otho me medicum.
Dumq́; uter eſſe uelim mecum delibero, cœpi
Eſſe nihil, quoniam quod perijt nihil eſt.

In Thilonem.

Te mea uelle mihi commeiere carmina dicunt,
Heu ſi, quam tua ſunt, tam ſcabioſa forent.
Hanc ſi, quin tibi dent, nequeunt euadere pœnam,
Tunc ea funeſta ſub cruce ſparſa uelim.

In Pompilianum.

Deſine me tandem, rogo, deſine dicere cinelum,
Ne te corrucam Pompilianeuocem.

Ad Flaccum.

Omnia Saxonicis quæcunq́; geruntur in oris,
Primus, uel nullo ſcit referente Niger.
Non tamen hoc mirum debet tibi Flacce uideri,
Auriculas illic fertur habere ſuas.

Ad Gellium.

Eſt aduerſa meæ ſemper fortuna ſaluti,
Omneq́;, qua ueniat ſpes mihi, claudit iter.
Quotquot erant quorum mihi commoda uita fuiſſet,
Iuſſerunt omnes inuida fata mori.
Vis modo tu ſæuas æger deludere Parcas?

Hæredem Cordum ſcribe, ſuperſtes eris

Ad Lelium de Papilo.

Pauperior uiuit mendico Papilus Iro,
At breuis hunc Ditem redderet hora Mydam
Qua ratione rogas dicam tibi candide Læli,
Tres calices uini fac bibat ille tui.

De Caſſio & Ollo.

Vna ſat eſſe poteſt, plenæ licet, amphora menſæ,
Sed quia conuiua eſt Caßius, adde duas,
Et panes duplica uenit inuitatus & Ollus,
Prouidus hoc etiam fac ſciat ante coquus

De nigro.

Si cauſſam neſcis male cur Niger audiat, hæc eſt,
Se penes auriculas non habet ille ſuas

Ad Næuolam.

Audio Romanos, & abhorreo Næuole mores,
Vt ſtupida recti ſtent mihi fronte pili.
Proh infanda mali populi peſtiſq; lueſq;,
Num loca placatus reſpicit illa deus?
Hic ſummuſne pater fidei, ſanctuſq; ſenatus?
Ex hac num nobis urbe petenda ſalus?
Hic ne ſuos fundit tua uinea Chriſte racemos?
Quam mala radices non bene nutrit humus.
Quantaq; palmitibus caries uentura timetur,
Ni grauis hæc renouet funditus arua ligo,

Trochilius ad Aquilam.

Pone

Pone precor ueteres tandem Iouis armiger iras,
Non ego re, ſed ſum nomine rex auium.
Sic uocor, ut quo non alia eſt minor ulla uolucrum,
Agnoſco regem te uenerorq́; meum.
Non tamilla minax acue in corpuſcula roſtrum,
Vno ſex noſtrum, ſi libet, ungue teres

In Celerem.

Tam tenuem mihi pauperiem Celer obijcis, ut mox
Mendicus limen cogar adire tuum.
Eſto quod is modo ſim, tamen à te nulla petetur
Buccea, nam noui te dare poſſe nihil.
Quam timeo ne tu prius ad ſuſpendia uinctus
Ipſe piam rogites me breuis aſſis opem.
Tam male non faueo. nec ero tam ſordidus unq̃,
Quin habeam nummos, & dare quinq; uelim

Ad Helium Eobanum Heſſum.

Quiſquis es Heſſiaci qui tot monimenta Poetæ
Sub ſera quondam poſteritate leges
Non dubium eſt, aliquot mercæris milibus, iſtum
Talia qui ſcripſit poſſe uidere uirum.
Sciréq; qui uultus illi moreſq; fuerunt,
Et quo tam doctos protulit ille modos
Ecce uidet præſens auditq́;, nec æſtimat ætas,
Quanta ſub afflato numina corde latent,
Nullus honor ſacro, nulla eſt reuerentia uati,

Quiſque faber maius œrdoq; nomen habet.

Ad Næuolum.

Quod ſim tam ſubito iam factus tempore Codrus,
Deſine mirari Næuole Cordus eram

In Pictum bru-
torum con-
uiuium.

Conſiuias uitulos, aſinoſq;, ſueſq;, caneſq;,
Prenſa uides bruto ſtringere uina pede.
Quid mirare? tuos hic aſpicis heluo fratres,
Mater enim tales uos parit Ebrietas.

Ad Eunum.

Te fore pontificem poteris ſperare, ſed ut ſis
Maximus, in fatis non erit Eune tuis.
At nullo ſummus fieri prohibeberis aſtro,
Si tua ſit ſedes celſus Erix uel Athos.

Ad Amicum
Quendã

Viginti Angelicos, ad ſex uel ad octo popoſci
Hebdomadas, ſed tu mittis amice decem.
Aſcræiq; citas, que neſcio uerba Poetæ,
Plus toto ſoliti dicere dimidium.
Quam mallem qui te docuit πλέον ἥμισυ παντός
Hic quoque κοινὰ φίλων πάντα docere uelit.
Si tamen hæc ſic uera tibi ſententia cordi eſt,
Quod facio facies tuque ſubinde lucrum.

Ad Cro

Ad Crotum Rubianum.

Vt Gallum ſimularet equum tuus iſte ueredus,
Auriculas illi te ſecuiſſe refers,
Quis malus hic error, quæ te dementia cæpit,
Vis Gallum, teſtes tunc Rubiane ſeca.

Ad Serium.

Cum Seri legeres oblatum forte Catullum,
Diceris abiecto ſæpe ſpuiße libro,
Scribere gentilem, precor, hæc patiare poetam,
Quod facis inſignis relligione ſophus.

In quendam Mendicum.

Videtis hunc lacerum obſitumq; mendicum,
In omnibus primum ædibus proſeuchiſq;
Qui flebili ſono, ſtraboq; proſpectu,
Domeſticam populo querens egeſtatem,
Scutulam ſtipi atq; pileum obuiam exporgit,
Et per timendum iugiter Valentinum
Monet, rogat, precatur, obſecrat, implorat
Quoſcunq; diuites uidet uiatores,
Molliſſimus ſcortator & liguritor
Lautiſſimus, ſuam quotidie menſam
Ficedulis, turdis, lupo, ſcaro, mullo,
Et quicquid optimi eſt ſaporis, exornat.
Miraris unde tantæ opes laceræ peræ,
Qui fœnerantur annuos habent nummos,
Quotidianum extorquet ille uectigal.

Si mallet eſſe ſummus hic magiſtratus
Peream, ratus mendicitatis eſt cenſus.
Quem conſecutus amplius nihil curet.

In prælectione Perſij.

Vnus ſit licet & breuis libellus,
Inter præcipuos tamen Poetas,
Magnam Perſius obtinere laudem,
Et nõ ultimus eſſe fertur author,
Quem quamuis gelido legam Decembri,
Feruentem tamen aſpicis laborem,
Pro quo ſex totidemq; da Leones,
Quæ ſi multa uidetur eſſe merces,
Vnum da mihi chare lector urſum.

In Rufinam.

Non mihi uis quot habes annos Rufina fateri,
Ipſa licet taceas dicit arata cutis.
Quæ te fucato iuuenem mentita colore,
Nunc tandem falſi turpiter arguitur.

Ad Bibulum.

Quem loculos habeam pauper, me quæris, ad uſum,
Ad quem ſimbellam tu quoq; pauper habes.

Quòd bonæ Literæ contemnantur.

Quid tamen his noſtri dicam de moribus æui?
Quis tam uæſanus, miror, & unde furor?
Ipſe ſuum ueniat lecturus carmen Homerus.
Sit niſi gratuitus, diſplicet ille, labor,

Soli mer

Soli mercedem referunt nil ſcire docentes,
Sola ſuo conſtat barbaries precio,
O infœlici natos iam tempore uates,
Et miſerum ſemper, dum manet illa, genus.

De Simone.

Prima Simon Petrus fidei fundamina iecit,
Chriſticolaſq; nouus dux fuit inter oues,
At ſuperas poſtquam Petrus migrauit in arces,
Hoc ſubijt ſolus munus ubiq; Simon.
Hei mihi quàm tenuis grex eſt paſtore ſub illo
Quàm gracili rarùm tergore uellus habet.

De Memore & Iopa.

Conuiuæ Logicus Memor, & Citharedus Iopas,
Conſedere, loquax ille, ſed hic tacitus.
Obticuit iuſſus Memor, id? rogatus Iopas,
Dulce coaptauit uoce lyraq; melos,
Totaq; lætifico ſoluit conuiuia cantu,
At tetrico ſolus perſtitit ore Memor,
Quem quoq; dum certans hilarare ſtuderet Iopas,
Tentauit uarijs frigida corda iocis.
Leſbia nil Sappho, nihil ipſa Corithia Lais,
Nil Helene potuit, Laodamia nihil,
Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton
Incipit, hic illi cimbala uerſus erat.
Hoc, ſubito, audito ridens ſaltenſq; canenſque
O ait Orphæis æmula plectra modis,

Imò nouus factus mox ipſe Poeta ſonabat,
Omnis homo currit, Nullus homo eſt aſinus.

In Picas.

Ergo ne Phœnicem te garrula pica putabis,
Quòd merito nuper cœperis igne mori?

In Aemulum.

Cur tua qui nuper riſerunt monſtra, ducentis
Ex alijs unum me male ſcurra petis?
Forte quòd ex ipſo uidear tibi nomine, quem tu
Vel nullo uictum ſternere marte queas.
Neſcis? ſunt etiam paruis data ſpicula ueſpis,
Et ſua formicas ira iuuare ſolet.

Ad Aphrum.

Quòd mihi formoſus nunquam placet Apher Alexis.
Maior, quàm Corydon, ruſticus eſſe putor,
Et rudis indignos, qui ſpernat Mopſus amores,
Lactucaſq; refers quærere labra ſuas.
Mopſo Nyſa data eſt, Nyſam ſibi Mopſus habebit,
Formoſum Corydon Paſtor Alexin amet.

Ad Galenum.

Egregios inter tot Homeros atq; Marones,
Quo potui cœpi Cherilus eſſe modo,
Cruda tibi nuper ludens elegidia miſi,
Et mihi ſunt ſyluæ reddita ligna tuæ.
Sed procul hæc altis nimium radicibus hærent.
In noſtrum timeo non aditura focum.

Nunc

Nunc ego me uellem fore blandis Orphea chordis,
Tentarem querulis attrahere illa ſonis.

De quodam Præpoſito.

Hic qui prima tenet triſti ſubſellia uultu.
Et tonſos inter præſtat honore patres,
Pauper erat quondam, nec cuiquam notus amico,
Sæpe piam ſacra cœpit in æde ſtipem,
Nunc quod plena habitet ditißimus atria ſeruis,
Quotq; tegat Serum uellere ſcorta, uides.
Quæ bona diuitias dederit fortuna requiris,
Et qua nam factus ſit modo tantus ope?
Læuis adhuc iuuenis Romana palatia uiſit,
Hic ſe principibus ſubdidit ille uiris.

Ad Luſcum.

Quotquot adhuc ueri fuerant moriuntur amici,
Sic mihi perpetuo ſors inimica iubet.
Non tamen eſt quod ob id poßis tibi Luſce timere,
Non es, nec nobis uerus amicus eras.

Ad Auitum.

Centum ſollicitas æterna lite patronos.
Totq; miſer rabulas paſcis Auite reus.
Non tantis opus eſt turbis, rem finiet unus
Orator Plutus, præſto ſit ille tibi.
Qui quot agit uincit ſub quouis iudice cauſas,
Vt melior nunquam Scæuola nec Cicero.

Epitaphium Stingelameri.

Qui potuit magni comprendere ſydera cœli,
Hic tegitur parua Stingelamerus humo.
Et niſi quæ norat, coram quoq; poſſe tueri
Optaßet, Pylius uiueret ille ſenex.
Vt qui Pæonias clariq; Machaonis artes,
Doctus, ab infernis te reuocaſſet aquis.

Ad Ficinum.

Miraris qd', qui dominæ ſeruiuimus Annæ,
Tam miſeri plures non habeamus opes,
Non dat ei, qui ſit meritus, fortuna ſed illi
Cui fauet, hæc neſcis? eſt inimica mihi.

In Figulinam.

Quòd perfractus hiet paries tibi, deſine natos
Obiurgare meos, qui nocuere nihil,
Hanc ad te repens rimam perrupit Iaſon
Cui, male ſi fecit, dic male, parce meis.

De Caballo

Quòd ſit in appoſita mox primus lance Caballus,
Gallinaſq; alas deſecat atq; pedes,
Non inciuiles oſtendit Olympiæ mores,
Sed cauet è menſa ne fugiant epulæ.

De Aulo & Carino.

Poße deum Venerem dici negat inſcius Aulus
Sæpe licet Caluum Virgiliumq; citem.
Doctior aßentit uel neutro teſte Carinus,
Vtriuſq; quidem ſcit Venerem generis.

In Ac-

In Aemulum.

Si tibi ſublimi cantata tragœdia uerſu,
Et multæ Satyræ grande uolumen habes,
Si tot in innumeras creuere Epigrammata chartas,
Eſtq; grauis uincens bella Maronis opus.
Quis malus inſipidus furor impulit ædere nugas?
Quas,niſi cui ſapiunt friuola,nemo probat.
Non ego,ſi poßem Smyrnæum reddere uatem
Peßimus in populo Cherilus eſſe uelim.

In eundem.

Tu ne tuo naſo nihil eſſe ſagacius inquis?
Qui propria olfacias prorſus oleta nihil,
Eructata quibus concedunt allia,quiq;
Putribus ex ouis peſſimus exit odor.
Hæc tamen in medium profers ut aromata uulgus,
Proq; mero moſchi pure liœre putas
Murilegum referens,tua conde cacamina,felem,
Nec tunicas thuri perde crocoq; ſuas.

Ad ſe ipſum.

Quid furis Eurici,quid tanta accenderis ira?
Nemo bonus dixit te tamen eße malum,
Cum pia doctorum te laudet turba,quid ille
Nominibus poterit ſcurra nocere tuis?
Candidiora ſuæ nemo præconia laudis
Malit,ab hoc tali quàm nebulone peti.

Ad Vxorem

Chara doles, quod nulla feras funalia, coniunx
Cras ubi tot capiunt lucida templa faces.
Non opus eſt iſta pectus corrodere cura,
Eſt quæ me grauior ſollicitudo premit
Non uel thuricremis accenſas ignibus aras,
Sed uult offenſus te lachrymare Deus.
Plange, dole, pia corda leua, ueniamq́; precare,
Siq́; quod eſt pura mente fatere nephas.
Gratior aſcendit nunquam cœleſtia fumus,
Non ſunt quæ ſuperos plus holocauſta mouent.

Ad fortunam

Maior in ærumnis uitæ pars hactenus acta eſt,
Quæ mihi nunc ueniant tempora, diua refer.
Quando erit illa dies miſerum qua fauſta poetam
Ex tanta iubeas ſurgere pauperie?
Muſica, forſan ais dum linquam ſacra, petamq́;
Quod ſequitur rudis & peßima turba forum?
Inuideas potius, miſero licet, uſq; Poetæ,
Hoc ego non poßum ditior eße modo.

In Aemulum.

Dum tu maxime CLAM ITVR Poeta,
Et non PLVRA, mihi eſt PAPYRVS inquis.
Quis ſit maxime dic Poeta ſermo,
Donandos tibi rere barbariſmos?
Et fœdos puero tuo ſolœcos?
Infami cedo dexteram flagello.

In eundem

In eundem.

Sum fateor ſemperq́; fui pauperrimus Irus,
Hoc mihi quod uicium, quod quoq; crimen erit?
Non meus, ut tuus eſt, didicit pater eſſe ſacerdos,
Cui ſua continuas ara redundet opes.
Quæ ſuffragetur tibi, plurima turba laborat,
Vnius ex callo uix ego uiuo manus.
Dat tenuem nobis uictum iuſtiſsima tellus,
Veh tibi qui ſacra luxuriaris ope.

In Eundem.

Obſcuro qui te natum putat eſſe parente?
Errat, habes generis nobile ſtemma tui.
Prælüſtris pater eſt cui ſupplice ſurgit honore,
Et nudum inclinat uirq́; puerq́; caput,
Quiq́; Indas indutus opes, Tyrioſq́; colores,
Apponit labris aurea uaſa ſuis.
Quem penes à ſummo conceſſa tonante poteſtas,
Claudere cœleſtes & reſerare fores.
Tam celebres numerans maiores iure ſuperbis,
Et uilis merito nos tibi turba ſumus.

Epitaphium in quatuor Hæreſiarchas ex prædicatorum ordine Bernæ combuſtos.

Si quis ad hæc forſan diuertis buſta uiator,
Sanctus hic eſt, greſsum ſiſte prophane, locus.
Quatuor hic noſtræ fidei luxere lucernæ,
Factaq́; ridenti ſunt holocauſta deo.

Nullus ita acceptos mactauit apella iuuencos,
Non hecatombæi gratior ara ſacri.

Aliud.

Hos quicunq; uides nigros fuligine poſtes,
Accipe quam noſtri rem ſtupuere dies.
Quattuor infameis monachos hic abſtulit ignis,
Maximus eſt, quæ ſit, dicere, culpa pudor.
Pauca legis, paruo breuiter complexa libello,
Cætera non populum crimina ſcire licet.
Si ſciet inuiſis nullum dabit amplius aßem,
Et miſera totus concidet ordo fame.
Tot licet explicitis ſuſpendat ſigna tabellis,
Milleque det centum milia pontificum.

Aliud.

Aeternam requiem fruſtra cantatis amici,
Reijcit iraſcens irrita uota deus
Nulla malis ſpes eſt amiſſum poſcere cœlum,
Perpetua eſt nobis ſub Phlegetonte domus.
Tota cohors uno ſemel ardeat igne neceße eſt
Si noſtrum uultis forte piare ſcelus.

Aliud.

Hoc ne putas iuſtum quiſquis legis iſta uiator
Hoc ne potes ſana mente probare nephas?
Forte nouum ſuperis tentauimus addere diuum,
Ad Stygios turpi mittimur igne lacus.
Si Deus iſta pijs pro factis præmia reddit,
Quam grauis infectos crimine pœna manet

Aliud.

Quotquot adhuc reliqui ſupereſtis uiuite fratres,
Et ſit perfricto nullus in ore pudor.
Eſt mala de nobis per totum fabula mundum,
Noſtraq; iam cunctis finibus auſa patent.
Sed breuis illa dies ſperamus comteget, & uix
Vnus, qui ſcelus hoc credat, & alter erit.
Omnia uos populo iurati uera canetis,
Subq; pia nullum re latuiſſe dolum.
Vtq; ſit in ſanctum ficta illa calumnia Thomam,
Et nos indignos hoc periiſſe rogo.
Tunc noua martyribus nobis ſacrabitur ædes,
Stabit & hæc celebris carnificina locus,
Tunc quoq; uos ueſtri dicetis ſtigmata fratris.
Tunc qui uos, etiam plus, decorabit, erit;
Nec ſolus tanto Franciſcus honore ualebit,
Accipiet grauior cærea uota tholus.

Aliud.

Heus tu quo properas adeo feſtine uiator?
Hic ne tibi tanti eſt, ut remorere, locus?
Quem tot ab extremis cupiunt inuiſere terris,
Vt minus in Solimo ſancta ſepulchra iugo.
Quattuor hic illi perierunt hæreſiarchæ
Immo ſub humana dæmones effigie.
Immo peiores Monachi, quis talia dæmon
Audeat, aut poſſit crimina perficere?

Quæ ne rogas ſuperæ cuiuſuis incola terræ?
Iam uetus hæc merſo fama ſub orbe uolat.

Aliud.

Quis quod cunctarum ſit permutatio rerum
Non uidet, & ſubitas uertere quæq; uices?
Qui fidei nuper magni luxere magiſtri
Et nitidum populo prænituere iubar,
Aeterna Stygij merſi ſub nocte baratri
Non, niſi quod præbent ſulphura, lumen habent.

Aliud.

Quiſque ſuo monachus multum licet ordine crimen
Perpetret, infernas, quod tremefaciet aquas,
Non eſt plura tamen non eſt maiora quis auſus,
Quàm uarijs Picis æmula monſtra notant.
Nil horum inceſtus, raptus, ſtupra, furta, uenenum,
Quæq; rudem plebem talia mille latent,
Vltus hic eſt illis longe magis horrida campus,
Si dicam ſtupida, uel Nero, mente cades.
Audijt hæc uiditq; datas hoc ceſpite pœnas
Et ſua perculſus flumina preßit Arar.

Aliud.

Quis modus & quis erit (proh mitia numina) finis,
Quiſq; pudor ſceleris peſſima ſecta tui?
Nonne ſatis tua quod iamdudum fama laborat?
Nonne ſatis Sodamum nonne Gomorra ſatis?
Et ne plura loquar, quæ cætera turpiter audes
Toxica ſacrifica libadediße manu?

Quòd ſi flagitijs certas, iam deſine, uincis
Vel cum commiſſum fertur ubiq; nefas.

Aliud.

Non magis admiror miſcentem prælia Turcam,
Saluificæ ſignum contemerare crucis,
Nos penes exiſtunt maiores illius hoſtes,
Quos etiam magnos dixeris eſſe Deos.
Hoc mihi ſi forſan quis nolit credere uerum,
Patratum Bernæ quærit et ille ſcelus.
Cuius hic authores merito locus abſtulit igni,
Nobilis in longos carnificina dies.
Candida ne fruſtra tu manibus aſtra precaris,
Quos ferus æterno carcere pluto tenet.
Et ſita non ores ut molliter oſſa quieſcant,
Hæc uagus in Rheni flumina uoluit Arar.

Aliud

Tam tetro quod olet combuſtus cæſpes odore,
Accipe ſi dubius forte uiator ades.
Quattuor infernum ſubeuntes dæmones antrum
Hoc hominis formam depoſuere loco.
Fœdáq; liquerunt, poſt ſe ueſtigia, quæ non
Pertulit obſcœnas Phineus inter aues.

Aliud.

Quam Styga, quam Lethen, quē uobis imprecer Orcū,
Quæ nam pro tanto crimine pœna ſatis?
Non quòd Aloidas tenet & Titanas opacum

Non

Non Solmoneum quæ piat umbra nephas.
Non rota, non uultur, non inſuperabile ſaxum,
Non ſine fine fames, non ſine fine ſitis.
Deniq; ſi coeant, quæ totum cuncta baratrum
Claudit, ad hoc ueſtrum nil ſcelus illa forent.

Aliud.

Deſine flere tuos Chriſti pia turba parentes,
Nec male detemtis manibus eſſe time.
Quattuor hi poſtquam ſubierunt Tartara fratres,
Omnibus eſt alijs facta repente quies.
Scilicet huc cunctas uertit ſententia pœnas,
Nec tamen has Iudex ſat Rhadamantus ait.

Aliud.

Quis tamen hic error, quæ cæca inſania mentis
Deſtituit tantos à ratione uiros?
Vnius ob maculas hominis detergere Thomæ,
Tentarunt omnes contemerare deos
Quòd, quia difficile, inceptum ut deducere poſſent,
Nullum ſacrilegi præterier nephas.

Aliud.

Impia reſciſcens Arar huius crimina ſectæ,
Oceano refugit nuncia ferre mari.
It comes huic Rhœnus, qui feſtinantibus undis,
Per quod in hoc poſſet currere monſtrat iter.
Omne intromiſſus longo ſcelus ordine narrat
Inq; ratam iurans indicat oſſa fidem.

Nõ mo

Non mora concreti glaciali cortice fluctus,
In multos ſolidi diriguere dies.

Aliud.

Quis tam grande nephas unquam uel Turca patrauit,
Quàm qui ſe diuos eſſe uolunt monachi?
Iſta ne conuitum te ſol ſpectacula terrent?
Spargis adhuc ortum quo prius ore iubar.
Atreæ credam quod ad impia fercula menſæ,
Diceris abſconſis ater iſſe comus?
Quod niſi tam clemens moderetur ſydera numen,
Iam foret antiquum rurſus in orbe cahos.

Ad Caunum.

Dum tu forte canis ſcandentem ſydera Chriſtum,
Mantoæq; ſtudes æmulus eſſe tubæ,
Ipſe meæ infœlix quærens lenimina curæ,
Neſcio quæ fragili carmina ludo pede,
Et leuibus nugis mundam deperdo papyrum,
Vt tunicas habeant thura crociq; ſuas.
Atq; utinam hoc ea quis non dedignetur honore,
Nec ferat in loculos ſæda cloaca tuos.
Si uideas dices, quis in hæc te ludicra uertit?
Nec genij credes iſta prophana mei.
Crede, ſuæ multi ſcribunt non conſona uitæ,
Quis tua quæ pangis relligioſa putet?

Ad Librum.

Non præceps adeo ruas libelle,

Quin

Quin tuum prius audias parentem,
Quæ mandata tibi det exeunti.
Omnes quotquot ubiq; litteratos.
Cultoreſq; nouem uides ſororum,
Meo nomine plurimum ſaluta,
Et ſi dignus eis uidebor, ut me
Antiquæ numero ſodalitatis,
Extremum licet, adnotent, precare.
De hinc ut Rhinocerontas atq; Barros,
Ronchos, auriculas, ciconiaſq;,
Vnius facias pili memento.
Demum quàm potes eminus proculq;
Declines, fugias abomineris,
Tectos tetrico hypocritas cucullo,
Rugoſamq; ſenum ſeueritatem,
Et tantum placitos ſibi ſophaſtros
Inuiſum Latijs genus camænis.
Hoc eſt quod uolui, oſculare patrem
Aeternumq; uale miſelle fili.

Finis primi Libri.

EVRICII CORDI EPI-
GRAMMATVM LIBER
Secundus.

AD PHILIPPVM
Heßiæ Principem.

Quæ mihi reddideris pro miſſo dona libello
Omnis, quæ legit hæc carmina, turba rogat.
Tunc ego quæ poßum ſimulans pro tempore fingo,
Quæ me uis certum dicere uera refer.
Vt, quanta in charas tua munificentia Muſas,
Exhibeant teſtem non mera uerba fidem.

Ad Sorbium.

Si niſi quæ bona ſunt non uis epigrammata Sorbi,
Tunc potes à noſtris abſtinuiſſe libris,
Multa quidem mala ſunt, pcioraq; plura, ſubinde
Plurima comperies peſſima, iam ne legis?
Sed lege, non maius potes illis perdere tempus,
Quàm dum continua nocte dieq; bibis.

De Paulino.

Cum modo ſuccenſam ſtaret Paulinus ad aram,
Infuſum calici diluerctq; merum.
In mentem ſubijt quòd heri porrecta negauit
Vina, nec ex æquis pocula parte bibit,
Pænituit, ueniamq; precans ſua pectora planxit,
O iuſtum, & uera relligione uirum.

De Phaliſco.

Non ego contemno profitentem græca Phaliſcum,
Sed non ſum docilis ſentio diſcipulus.
Non imitabilis eſt noſtræ prolatio uoci,
Hoc ſi dicendum, quo docet ille, modo.
Accinit, amiſſas Mopſum clamare iuuencas,
Aſpirat, tuſſim dixeris eſſe ſuis.
Non ſatis his pulmo, non ſunt ſatis ilia uerbis,
Nec quæ ſint aliquis flamina follis habet.

In Mæuium.

Memiris tua me carpſiſſe poemata Mœui,
Cara tribus conſtant aßibus illa mihi,
Vendidit, & nullum iurauit habere lucellum
Conqueſtus chartas bibliopola ſuas.
Non referre tua puto ſi mea carmina purgem,
Et iugulans totum uirgula ſignet opus?

Ad Poliphemum.

Quid quod ubiq; ſacris indicta ſilentia templis,
Quod perpetratum, dic Polipheme ſcelus?
Prenſus apud mœcham crudeli cæde ſacerdos
Occidit, hoc paruum dicis inique nephas?
Dico, ſed hoc ingens, riualem ſcire patiq;,
Qui uigilans dormit, qui bonus ille uir eſt?

In Figulinam.

Qui mihi te dæmon uicinam fœcit, hic idem
Auferat Hercinios hinc procul in ſcopulos.
Qua tibi conſortes aſcenſo ſtipite ſagæ,

Conuiuam celebrant trans iuga longa chorum.
Non inter caſtas deberes uiuere matres.
Te decet infamiis peſſima læna locus,
Hic ubi paruus habet nomen de paſſere uicus,
Publicus hic fornix eſt tua, uade, domus.

De Henrico Leone in Rectorem electo.

Romule adulator Decimo blandire Leoni,
Hac nobis colitur primus in urbe Leo.

In Libellum Eobani de uitanda Ebrietate.

Legit ut Ebrietas huius maledicta libelli,
O quoties dixit talia mane tuli.
Scilicet inſanum tunc eſt & triſte cerebrum,
Et nimio impatiens ira dolore furit.
Hæc mihi qui ſero ſub ueſpere crimina dicat,
Credite Germano rarus in orbe uir eſt.

In Vmbrum.

Multa tibi ridens dicit ludibria uulgus,
Quod flaccum hinc iacias Vmber & inde caput.
Ignorat quanta ſit onuſtum mole cerebrum,
Quàm graue, nos ſcimus, ſuſtinet illud onus.
Tot ſiquidem dubijs, tot item farcitur Elenchis.
Vt queat una ſalis non bene mica capi.

In Maledicam Anum.

Quædam me mala læna criminatur,
Quam magnis ego laudibus ferebam,

Sed nec credula plebs mihi nec illi
Se, qualis ſit uterque, ſcire dicit.

De Arrio.

Impius eſt, raroq́; ſacras petit Arrius ædes,
Contemptæ cauſam religionis habet.
Non uidet ex alto porrectum limine ſertum,
Nec graue ficedulis, anſeribuſq́; ueru.
Turbidulas offert intranti porticus undas,
Et quem ieiuno lingimus ore ſalem.
Quæq́; glabri oſtendunt & liba & pocula myſtæ
In media ſoli plæbe bibunt & edunt.
Hos merito exoſus ritus magis Arrius optat
Priſca Thyonæi ſacra redire patris.

Ad Ioannem Emericum.

Triſtia funeſtam minitantur ſydera cladem,
Eſtq́; nouus diræ peſtis ubique timor.
Nil Emericæ time ſeruantia pharmaca dicam,
Quamq́; uel Hippocrates non daret antidotum,
Nec tot olens ſpecies Mithridatis ſynthe ſis æquet,
Nec moly omnigenis utilis herba malis.
Vt facis abiectas miſeratus reſpice muſas,
Quam modo cœpiſti pergere curre uiam.
Tam modo deſpectos tutare iuuaq́; poetas,
Et centum columis uiuere ſæcla potes.

De Auito.

Tres farris modios facilis promiſit Auitus,

Dictus

Dictus & hinc præſens eſt deus ille mihi.
Sed quia Chriſte doces hominem non uiuere tantum
Pane, ſed & uerbo, dat mihi uerba deus.

Ad Iuſtum.

Vnum rogatus ut mihi dares Vrſum.
Decem Leones, & duos ſtatim Ceruos
Tam liberalis atq; munificus mittis,
Sic ô tibi, quod tu deum rogas, detur.

De Iulio. II.

Mortuus ad ſuperam diuorum Iulius aulam
Venerat, & clauſas uiderat eſſe fores.
Inſertaſq; diu uerſans hinc indeque claues
Non, ait, hæc cœli, quæ fuit ante, ſera eſt.
Ianitor ut crepitum Petrus audijt obuius exit.
Et quare ueniat, quis ſit, & unde, rogat.
Auratum ille pedum monſtrans, triplicemq; coronam
Non ſummum agnoſcis perfide Pontificem?
Tum Petrus, huc dixit tibi non ſuccedere poſſe eſt,
Quod quis uendiderit non putet eſſe ſuum.

De Chriſtianorum Iudaiſmo.

Flete malos mores, & noſtri perfida ſæcli
Tempora, & infandum terrificumq; ſcelus.
Quam ueterum integritas docuit pietaſq; parentum,
Iudaica infecta eſt relligione fides.
Incipiunt noſtri pueros præcidere myſtæ,
Sacraq; putentes ſuſtinet ara capros.

Cur quæ ſæua bonis confeſtim flamma minaris,
Inuiſos ſuperis non populare uiros?

De Iuſto.

Si ueterem tibi uis Iuſtum ſeruare ſodalem,
Nil pete, non ut des, ſic quoq; ne det amat.
Rarus hic eſt, qui dum quem pauper haberet amicum,
Hunc quando petijt non quoq; perdiderit.

Ad Facundum.

Hic ubi ſedit heri, uiridantes inter auenas
Occubuit foſſus præpete glande lepus.
Quem Facunde tuæ torrendum mitto culinæ,
Nanq; meo multo eſt longior ille ueru.
Vix capit id fartam lardo cœpáq; columbam.
Quiq; paludoſo mergus ab amne uenit.

Ad Pætum.

Nil Italos iactans naſos mihi Pæte mineris,
Non illuc talis peruenit iſte liber.
Vtpote qui tenuis, nudus ſitit, eſurit, alget,
Vt patriam poſſit uix peragrare ſuam.
Eſto tamen claudo quod eò pede repſerit olim,
Quis uelit ex media Romula barbarie?
Præſertim ex illo qui non niſi barbara uidit,
Et cui nullus in hac arte magiſter erat,
Libera qui nec habet ſine triſtibus ocia curis,
Qui cum continua dimicat uſq; fame.

De Stemore Sacerdote.

Ante ſte

Ante ſtetit nudum ſine cultu & nomine ſaxum,
Nunc nitet aurato Stentoris ara Rocho.
Non magis infoſſis hunc dices parcere nummis,
Illius hic multo ponitur ære deus.
Vnde ſit hæc noua relligio miraberc, dicam,
Venturam peſtis legerat ille luem.

In Aemulum.

Si neſcis erras, breuis eſt ES *ſyllaba, quam tu*
Protrahis, & male me corripuiſſe refers.
Id mihi non credis, ſed plurimus undiq; teſtis,
Qui te conuincat, me tueatur, erit
Perſius hinc, illinc cui patria Bilbilis author.
Alter, fur es ait, mœchus es, alter ait,
Et quid ad hoc dicis? delator es, Et quid ad illud?
Dignus es aut porcos paſcere, ſunt ne ſatis?
Plura uoles forſan, poſſum tibi dicere plura,
Magnus es ardelio, Si uir es ecce nega.
His ſi non fueris contentus, habebis & iſtud.
Tu quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.
Factus es ipſe caper, Fraudator es obijcit idem
Et fellator es, Et, Non es & es Chione.
Quin etiam accedit maior, uel utroq;, Catullus.
Et ſua cui tantum Delia fecit opus.
Hic tibi reclamat, Puerum corrumpere es auſus.
Alter, Deſcendis, multus es & pathicus.
Conſentire mihi iam te puto, ſi qua negabis

Contra te teſtes noueris eſſe tuos.

Ad Ceruinum Ludimagiſtrum.

Dicis ineſſe meis Venerem Ceruine libellis?
Non nego, ſed turbæ non nocet illa tuæ.
Quandoquidem tali circumueſtitur amictu,
Vt ſacra, uel Maiæ, poſſet imago coli.
Plus ſunt caſta tamen, quæ tu ſcribiſq; doceſq;,
Nulla quibus fertur prorſus ineſſe Venus.

De Barbara.

Ter grauidum geßit, ter mater Barbara uentrem,
Caſta tamen ſaluo uirgo pudore manet.
Non mirum ſi, quòd genitrix natura frequentat,
Laſciuæ Zephyrus uiſcera tendat equæ.
Dum per aprica Petri iuga, per ſacrumq; Seuero,
Et Mariæ collem nocte dieq; furit.

Ad Henricum Hereboldum.

Et ſi Pygmæa natus de gente uideris,
Cœlifero tamen es maior Atlante gygas.
Qui ſuper immenſum tranſcendis uertice mundum,
Et cuius tantum eſt, quod tenet aſtra, caput.

In malum Poetam.

Quid dabis, & tales tornare docebere uerſus,
Vt putet hos Clarij, qui legit, eſſe dei?
Ex Italiſne refers prius id didiciſſe magiſtris?
Mercedem certe non meruere ſuam.
Nil dabis, hoc ultro tibi gratis offero munus.

Tu mea

Tu mea iam memori pectore uerba tene.
Purgatas hominum nihil amplius effer ad aures,
Sed ſolus tecum, quæ facis, ipſe lege.

In Eundem.

Non indigna premi, quod ais, tua carmina dixi,
Imò in perpetuos eſſe premenda dies.

Ad Othonem Begmānum.

Qui ualeam, qualis mea ſit fortuna requiris,
Vſq; miſer triſtem perbibo Codrus aquam.
Scribe aliquid dices, ſacram profitere poeſim.
Nulla tibi torpens commoda uita dabit.
At neſcis quòd habent hic nullum carmina pondus.
Spretus ubi regnant barbara, uatis honor.
Neſcio quis nunquam deſiſtens currere Sortes,
A ſtadio perſtat nos prohibere ſuo.
Hinc ſibi nulla canens deportat munera Phœbus.
Sunt Muſæ mulæ, noſtráq; fama fames,

Ad Verum.

Barbara Cælarent didicere docentq; Sophiſtæ,
Hoc ego non ſtudium iudico Vere malum.
Barbara cælarent tantum ſuper omnia uellem,
Quantum Caſtaliæ ſum ſitibundus aquæ.

Ad Draconem.

Impatiente fames uiſum Draco uentre puellam,
Et nouus eſt, illam prendere poſſe, furor.
Finge quod obtulerint, duri & ſine corde parentes,

Non tua cunctantem tutus in antra feres.
Ne, timeo, uindex ultrice Georgius haſta
Irruat, & capiat fabula picta fidem.

Ad Metium.

Non mea perpetuum durare poemata dicis
Hoc ego dicebam ſæpius ipſe mihi.
Scribo ut proſtituam, non ut manſura reponam,
Tantiſper uiuant, dum mihi des precium
Sic omnis figulus, ſic omnis cerdo laborat,
Qui modo quod uendit cras periiſſe cupit.

In Nigram.

Quod Nigra te mœcham dixi furemq; maritum,
In gemini me uis ſiſtere iura fori.
Teſte probabo nephas, non unus ſufficit inquis,
Qui nouit totus non ſatis eſt populus?

In Teleſinum.

Admonet acceptus prima me fronte libellus,
Vt dormire ſinam te Teleſine canem.
Tu ne canis dormis, rabido qui mordicus ore,
Quemlibet incurris dilacerasq; bonum?
Et per ſtrata, uias, cauponas, luſtra, tabernas,
Balnea, tonſtrinas, atria, templa, latras?
Non latro reſpondes, uerum eſt, ego memior, hirris.
Miror poſt nonum te ſupereſſe diem.

In Eundem.

Crede bona propere te nos liquiſſe uolucri,

Et tibi

Et tibi matura conſuluiſſe fuga.
Nam noua præfixit mandans edicta ſenatus,
Ignauos perdi degenereſq; canes.
Væ tibi ſi, quamuis collum ſignatus adeſſes,
Incideret capiti prima ruina tuo.

In triſtes Conuiuas.

Quid iuuat uſq; adeo triſtes ſimulare Catones,
Vos modo conuiuas, non decet eſſe ſophos.
Deſipere eſt ſemper ſapere, & non tempora noſſe,
Nec qui læta uelit, quiq; ſeuera locus.

In Glutium.

Quàm malus es Gluti, ſi phas eſt dicere, paſtor,
Curandum ne tibi Chriſtus ouile dedit?
Quæ ſua commiſſo pecori ſunt pabula neſcis,
Quod uirga, ut capras, glande cibas ut apros
Aetatis neq; ſunt, neq; ſunt diſcrimina ſexus,
Eſt idem ueruex agnus & agna tibi.

De Cōmentarijs Philœni

Extant plurima ubiq; plurimorum
Commentaria, ſed legens Philœni,
Non illis luculentiora dices.
Erro candide, parce, lector erro,
Longa eſt ſyllaba quæ breuis fit hic Lu.
Hoc paruo uicium labore tolles
Si ſtanti prope litteræ puſillum
Surſum dans apicem legas, ut hæc ſit

Mutarum

Mutarum ultima, quæ ſecunda nunc eſt
Et, non ſunt lutulentiora, dicas.
Qui mox tollitur eſt ferendus error.

De Crocide Anu

Ter tribus emit Anus noctem Crocis Hectora nummis?
Ille ſuam dedit hac conditione fidem,
Vt toties faceret, quot hians oſtendere dentes
Poßet, & hæc, quamuis non bene, pacta placent.
Hæc hiat, hic numerat ſupereſt uix putridus unus,
Inde ſemel, ſed non dulce, peregit opus.
Et modo ſuccenſa cum uellet abire lucerna,
Vt maneat paruam, poſtulat illa, moram,
Inq; caua quærens radicum fragmina carne
Des, ait, hæc quantum, te rogo, fruſta ualent,

Ad Iacobum Horllum.

Quod laudet paucos, multos liber iſte laceſſat.
Moribus adſcribas non Iacobe meis.
Hæc populi culpa eſt, in quo rarißima uirtus,
Atq; frequens uicium, hoc reprobat hancq; probat.

De Præcipitantia

Dicite uos, quoniam me non uidet illa, nec audit,
Quæ prope ſtat pronis ſemicaduca rotis,
Nonne uides titulum? lege, Præcipitantia fertur,
Moria quam genitrix Impete Patre tulit.
Cur habet obducto cæcum uelamine uultum,
Quidq; quòd auerſas obſtruit auriculas?

Non circum

Non circumſpecta eſt, nec prouida, ſurdáq; nullum
Conſilium admittit, det licet ipſe Solon.
Quis tu, quæq; tibi ſocia, & quæ deniq; cauſſa eſt,
Pone quod adſtrictos uos dea fune tenet?
Error ego, adſtanti nomen Metanœa ſorori,
Nos ſecum comites, quo ruit illa, trahit.

In Malum Poetam.

Si malus attingit tantum ſublimia liuor,
Nulla eſt cauſſa libro quod uereare tuo.
Quem ridens æquò miſeratur pectore lector,
Exoptatq; tibi ſanius eſſe caput.

In Glutium.

Quotquot habes Gluti cognoſcere diceris agnas,
Iam bonus ex Chriſti dogmate paſtor eris.

De nouis Grammaticis

Eſt noua Grammaticæ, quæ per fera bella docetur,
Eſt quæ punctato luditur alueolo,
Sit modo quæ multo uini quincunce bibatur,
Et fore Germanos credite Grammaticos.

In Philenum.

Qui fit amice, tui quod nolunt currere uerſus,
Et tamen his ſeptem ſunt, ſine ſplene, pedes?
Imò leues nulla rerum grauitate premuntur,
Nec minimum quiddam, quod remoretur, habent.

Ad Sincerum.

Quod dominam tanta celebraui laude Camillam,

Vis hinc

Vis hinc quæ tulerim munera ſcire? nihil.
Non hoc illius eſt uicium, ſed maxima uirtus,
Non placet hic, quem ſcit dicere falſa, liber.

De ſeipſo.

Autumnale uelut ſero ſub tempore cordum,
Vltimus effœtæ ſic ego natus eram.
Conueniens igitur Cordi cognomen habebo,
Dij faciant illo poſt mea fata uocer.

In Acletum.

Quotquot ubiq; parant magnates prandia ciues,
Te quoq; conuiuam ſemper adeſſe refers.
Magna inuitatis ubi gratia habetur amicis,
Qui uenias ultro, maior agenda tibi eſt.

De Hermogene.

Conſul erat quondam, dehinc præco, deinde ſatelles,
Mox tortor, demum baiulus Hermogenes.
Nunc lacer in ſacra mendicus obambulat æde.
Gaudeat Hermogenes, non magis ille perit.

De Frontone.

Cum faceret ruri uerſus, chartisq; careret,
Dicitur in planam Fronto notaſſe niuem.
Dignior huic nunquam continget pagina uati,
Hæc niſi, uel uentus uel fluuius fuerit.

In Concubinarios Sacerdotes.

Exijt à Summo mandatum Præſule, ne cui
Vlla ſacerdoti ſerua ſit aut famula.

Non tranſ-

Non tranſgreſſus adhuc ſacer illi paruit ordo,
Nulla ſacerdoti eſt ſerua, ſed eſt domina.

De Philœno.

Prenſus adulterio media inter tela Philœnus,
Summe tuam, dixit, Iuppiter adfer opem.
Si mea deuictum iam dextera strauerit hoſtem,
Tunc faciam uitulam munera magna tibi.
Cum uolet ille deo promiſſum ſoluere uotum,
Tunc pecoris cuſtos ſis Meliboee tui.

In Eundem.

Qua tamen hoc uates ratione Philœne tueris,
Qd', faciam uitulam munera magna, refers?
Sacrifico facio eſt, pueri quod ſciuimus olim,
Sed uitulam facere, hoc ſacrificare nego.
Si uitulam facere, eſt tibi ſacrificare, paraſq́;,
Ne, cum ſacrifices, ſacrificare, caue.
Quàm meliora mihi Damætæ ſacra placebunt,
Ille quidem uitula, non uitulam faciet.

De Ludouico Placenta.

Mille licet plœna ponas bellaria lance,
Vel modo Romanus qualia luxus amat.
Præſenti huic uni cedent ea cuncta Placentæ,
Quód magis oblectet, uel ſapiat nihil eſt.

In Barbaram.

Non tam turpe poteſt dici tibi Barbara uerbum,
Vt tua mutatus purpuret ora color.

Nulla uerecundum faciunt peccata pudorem,
Phuh pudeat ſaltem, te puduiſſe nihil.

Ad Bartholomæum Gocium.

Quis furor eſt dulces patriæ te linquere fines,
Vaſta Polonorum uelleq; regna ſequi?
Tanta ne, dic, aulæ te Bartholomæe cupido
Cœpit, ut hoc cupias incoluiſſe ſolum?
Hac ne putas tecum comites concedere muſas?
Non habitant iſtæ Barbara rura Deæ.
Imò non aliquam facile admittuntur in aulam,
Nullus cis locus hic, nullus amor, nec honor.
Non ſinit hoc præſens cor noſtris regibus æuum,
Vt poterint doctos noſſe patiq; uiros.
Mimus, adulator, paraſitus, morio, nanus,
Hiſtrio, leno, dicax, ludio, ſcurra, placent.
Hæc ſola in precio eſt illis & honore farina,
Nunc age dic, potes hoc aulicus eſſe modo?

Ad Bertramum Dammum.

Docte puer ſupra teneris quam creditur annis,
Candida Saxoniæ gloria Damme tuæ,
Quàm facili currunt tibi læuia carmina ductu,
Quàm certo graditur culta Thalia pede.
Ardua ſcanſurus Parnaſſi culmina perge.
Multa licet medijs ſint fruticeta uijs.
Denſa uides tandem cum tempore ſpina recumbit,
Quæ dudum nobis hoc prohibebat iter.

Nō duo

Non duo te ſcopuli ſublimi cautæ fatigent,
Nec primo laſſum tramite ſiſte pedem.
Tota Camænarum uiridem tibi turba coronam
Nectit, & amplexus optat amica tuos.
Qui uix prima rigat multis iam labra poetis,
Caſtalio totum proluc fronte caput.

Ad Chriſtophorum Hacum.

Quòd tibi donatos mauis emiſiſſe libellos,
Et plus quàm proſtant, quam uolo das precium.
Non aliud poſſum doctiſsime dicere uates,
Quàm mea quòd pluris, quàm facio ipſe, facis.

Ad Ioannem Albertum.

Te mihi munificum fama extulit, audio dixi
Hactenus, at poſſum dicere nunc, uideo.
Pro tantis habeo donis quas debeo grates,
Solius eſt illas poſſe referre dei.

De Fannio.

Conſcendens quoties ſuggeſtum Fannius orat,
Et liquidos alto ſtrangulat ore ſonos,
Conchiferum rata mendicum uicinia prodit,
Fertq; piam tali concita uoce, ſtipem.

In Prælecturum artem Memorandi.

Quam bene promiſſam memorandi noueris artem
Egregium ſpecimen conſtat ubiq; tuum.
Quòd potes illius reminiſci ætatis & anni,
Quo tua adhuc mater nullius uxor erat.

In Furium

Fur ego pro Furi dixi te forte uocando
Qua tuear dictum nota figura mihi eſt,

Ad Sextum.

Tres enis alaces bis quinq; Leonibus, illos
Si mihi das, librum do tibi Sexte meum.
Vis ſalſos uideo fatuo pro carmine piſces,
Ceßauit febris iam tua Sexte, ſapis.

Ad quendam Monachum.

Qui uos excluſi mundó monachiq; uideri
vultis, & inſignes relligione uiri?
Qui ſic errantes totam percurritis urbem,
Omnibus in plateis omnibus inq; foris.
Omnibus in ludis. ſpectaclis, concilijſq;
Fornicibus, thermis, deniq; dic ubi non?
Non adeo uagus ardelio, non ſcurra prophanus,
Et tamen in ueſtra credimus aſtra manu.
Quam timeo ne nos hæc ſpes & opinio fallat.
Væ ſua, cui ueniet non aliunde, ſalus.

Epitaphium Ioannis Piſtorij·

Qui mortuum ſub hac humo Piſtorium
Reris iacere falleris.
Conſors dei conuiua ad ambroſias dapes,
Viuus ſedet Piſtorius.
Hac inde nos in ualle mortales uidens
Miſer inquit ô homuncio,

Quid

Quid hoc putas modo cupiſq; uiuere,
Quod uerius dicas mori.

De pugna duorum Grammaticorum

Certarunt duo grammatici Probus & Polidorus,
Vnus, dicendum num ſit, an una dies.
Acris utrinq; fuit magna contentio uoce,
Armatas donec conſerucre manus.
Vnam dumq; diem defendit uindice dexta,
Tres Probus in leua perdidit hebdomadas.

In quendam Medicum indoctum.

Tam bona ſunt oculis, quæ tu collyria miſces,
Vt melius fuerit colliniſſe nihil.

De Perilla mendica meretrice.

Quid pia ſubtrahitis mendicæ dona Perillæ?
Non minus eſt, quam quæ ſtat prope digna Crocis,
Pænitet hanc actæ, ſi quid fuit improba, uitæ,
Et dolet admiſſi territa mole ſtupri.
Audijt eſſe minus quoniam ſe nulle prophanis,
Vni quam ſacro ſubſtituiſſe uiro.
Mille ſacris quondam ſe ſubſtituiſſe fatetur.
Deſijt, & peccat iam minus illa, date.

In quendam Sophiſtam.

Quæ legis ad Verum contra te carmina dicis.
Et, licet iraſcens, is tamen eſſe cupis.
Falleris, hoc nemo dignum te cenſet honore,
Vt uel ab infami ſit tibi fama libro.

Quilibet è uulgo potius te cerdo putatur.
Non eſt, quàm Verus, quod minus eſſe poteſt

Ad Arminium

Ad tua me ſemper uocitas conuiuia pranſum,
Poſtq; doles noſtrum ſic properaſſe cocum.
En mediæ ſignum dant tintinnabula lucis,
Ieiuno, ſi quid uis, modo fare mihi.

Epitaphium Tilomanni.

Hac, ſed non totus, iaceo Tilomannus in urna,
Nam meliore mei ſydera parte colo.
Hic ſi, quæ teneo cum diuis, gaudia ſcires,
Mortua tam dulcis non tibi uita foret.

In Fores Henningi Gœdi.

Adſta uiator & uide,
Henningus hanc Gœdus domum.
Et has Fores imo ex ſolo,
Matri Patronæ uirgini,
Suis locauit ſumptibus.
Illud tibi uolui. Vale.

Epitaphium Nicolai Othonis.

Sperate poſteri & timete mortales,
Ego utroq; liberatus atq; ſecurus
Aſſeſſor & conuiua cœlicæ menſæ,
Inter beata mille milia Diuorum,
Non defitura perfruor uoluptate,
Huc uos lubente me ſequamini uoto,

Ducat

Ducat propinquans, quos tamen traheret, ſatum.

Ad Aemerianum.

Aſpicis ut caſtos induta ſit Iſis amictus,
Nec ſoleat quoquam pergere ſola foras.
Longa pedes cyclas, pendens tegit ubera peplum,
Poſt comes in famula cara liberq; manu,
Tu tamen oſtendis nullum, dum tranſit, honorem.
Qui ſunt hi mores Aemeriane tui?
Ipſe prophanus ei non cernuus annuis, ante
Quam ſacer obnixo procidit ordo genu?

De Anu Ruſtica.

Ruſtica uidit anus patulum dum forte cadurcum
Præterit, expoſitos cum ſpeculis loculos.
Quæ prope contrectans, rugaſq; intuta ſeniles,
Tam mala non olim, dixit, erant ſpecula.

In Philænum.

Nunquam conuinces maledicti Epigrammata noſtra,
Te licet illa malum terq; quaterq; uocent,
Dicere te eſſe malum, non eſt maledicere, uerum
Tam bene, quòd dici nil melius poterit.

De Vacia.

Octo prædiolum pauper ſibi Vacia nummis
Emit, & id ſeptem non reor eſſe pedum,
Tres in eo cæpe, duo bulbi, quinq; lupini,
Vnaq; uix gracili braſſica caule uiret,
Quoq; tamen rediens hinc ueſpere baiulat ille,

Quas non Alcinoi protulit hortus opes.

Ad Phillida.

Multus heri leuiter tecum conuenit adulter,
Et ſolis poteras credere Philli uiris.
En magnis ſanctus monachus rem teſtibus egit,
Et tibi promiſſam uis dubitare fidem?
Nullos pauper habet neq; phas eſt tangere nummos,
Rus petit, hinc centum cras feret oua tibi,
Centum caſeolos, & lini mille maniplos,
Has dabit hic diues Sardanapalus opes.

Ad Charidemum.

Quòd ſtata frugali uiolem ieiunia cœna.
Me Stygio prædam das Charideme Ioui,
Quando ageres multo, memini, Dioniſia luxu
Victus erat quondam, panis & unda, meus.
Cum non debueram ſitij miſer eſurijq;
Nunc debens uetito par ego reddo cibo.

In Macrum Luſorem.

Vna te medicum fieri trieteride ſperas,
Nec quanto diſcas iura labore Macer,
Vnus ad hoc annus ſatis eſt, ſatis hebdomadas un.
Imò uel hoc medicus iam potes eſſe die.
Et pluſquam medicus, mendicus nempe rogator,
Si modo ſic miſeras ludere pergis opes.

De Operco.

Irrita concipitis laſciuæ uota puellæ

Et uanis culta eſt iuno Venuſq; ſacris.
Neſcio plumbati num fixus arundine tæli,
Vos fugit auerſans ueſter Opercus amor.
Antiquum penitus quando ceſſiſſe pudorem,
Et raram Thalami uidit hic eſſe fidem.
Aonio intutus caſtas in uertice muſas
Has, ait, uxores liber habebo meas.

In Traulum.

Quòd tam ſimpliciter fatear me ſemper egenum,
Degeneris ſignum, Traule refers, animi.
Si uerum dicis, non eſt te clarior alter,
Qui Phrygias ſimulas indigus Irus opes.

In libellum pro ſtrena miſſum.

Ecce recurrentes Iani uenere calendæ,
Et læta colitur feſtus in urbe dies.
Vltro citroq; uolant miſſæ per compita ſtrenæ,
Vt nouus ad uotum fauſtiter annus eat.
Dat quod quiſq; poteſt, tenues mea munera uerſus.
An placeant dicet ſacculus ipſe mihi.

Ad Liuorem.

Qui uenit, ut qui ſumma ſoles, petis infima Liuor,
Quid tibi uis? nudo paſceris oſſe nihil.
I alio, magni tua ſint alimenta Poetæ.
Hoc ego non dignor nomen habere mihi.

Ad Sextum.

Quod tres alceas dixi, me Sexte reprendis,

Et non Grammaticos ſcire putas canones.
Qui lautos uno tractas aleæ ſodales,
Pluralem uitas prouidior numerum.

In Aemulum.

Falſa quòd iniicias integræ crimina uitæ,
Officium peragis peſſime ſcurra tuum.
Diſce prius noſtros q̃ ſcindas perfide mores,
Non quo conſueſti uiuere uiuo modo.

In eundem.

Te rideo, tuasq́; contemno minas,
Effunde, quantaſcunq; habes, iam copias,
Extráq; caſtra bellicoſam educ manum,
Et ut poteſt parata ſit ferro phalanx.
Tibi obuiam puſillus iſte, quem uocas
Maiorem & expeditiorem exercitum
Mouebo, qui, uelut uagum ueſpæ bouem,
Te per fragoſa teſqua, per denſas uepres,
Cauaſq; ualles, alta per cacumina,
Per atra ſtagna, per paludoſos lacus,
Ad infimum uſq; perſequetur Tartarum,
Tecum bona quieſce pace ſi ſapis,
Et his, ut ipſe me ualere uis, Vale.

In Oblocutorem.

Me quidam oblique mordens Holophanta laceßit,
Non caligas dignus ſoluere docte tuas.
Scilicet exſpectat uicturæ nomina famæ,

Nil agit

Nil agit, in uerſu non erit ille meo.

Ad ſeipſum.

Stulta ne tam mens eſt, ut tales uiuere nugas,
Sub ſeraq; putem poſteritate legi?
Poſthuma quæ ueniet, ſeu quæ præceſſerat ætas
Me ſciet, hoc uates poßumus eſſe modo.

Querela Crucis quondam in Iubileo erectæ

Vſque adeo nihil eſt, ſi non ſit & utile, magnum,
Et precium faciat commoditate ſui.
Tunc ubi mille dedi Romano milia patri,
Teutonicas captans Italus ames aues.
In media ſtabam populo uenerabilis æde,
Meq; frequens coluit ſupplice turba genu.
Hæc ubi ſublato bubone annona quieuit,
Et per me nullum reſtat, ut ante, lucrum,
Ad fœdam proiecta uide ſordeſco cloacam,
Me temnẽs calcat plebs uenerata prius.

Ad Arnum Sacerdotem & Medicum.

Es medicus ſimul & ueſpillo, feretraq; uendis,
Venalesq; canis manibus Arne preces.
Quid mirum nullos quòd adhuc curaueris ægros?
Vno contentus non potes eſſe lucro.

Ad Simplicium.

Quo ſubfulta ſolo, dubitas, ueſtigia fixit,
Suppoſitus mundum quando ferebat Athlas,
Quid dabis & dicam? ſed non niſi dixeris ante,
Quo portans eadem pondera Chriſtophorus.

De Erphordianis.

Exprobrant famos tibi magna Erphordia ciues,
Tam ſapiens alibi non puto uulgus erit.
Cui puta tam doctum ſit ad omnia lauta palatum
Vt mures taceat Pontica terra ſuos.

Ad Theleſphorum

Optima quis uendat iam uina Theleſphore quæris,
Neſcio, ſed tenuem quis, ſcio, Zython habet.
Sordida poſt pontem mangonum turba petatur,
Diſperеam ſi non dixerit illa tibi.
Denigret arcta licet multus gurguſtia fumus,
Hic tamen anguſto ſub lare lauta gula eſt.

Ad magnum.

Extremo quoties me ueſpere Magne ſalutas,
Corde bonum ſerum ſit tibi ſemper ais.
Acre ſerum mallem, uel ſi quid uilius iſto,
Vſq; bonum ſerum conqueror eſſe mihi.
Dignius hac poſſum nil reſpodere ſalute,
Quàm quod præproperum ſit tibi Magne malum

In Aegrum.

Solus edit proprio Clemens ex uaſe bibitq;,
Quæ ſit cauſſa rogas? os habet ille malum,

Securus

Securus tamen huic Aeger conuiua coibis,
Occupat os morbus ter magis ille tuum.

In Gramaticam Marulli.

Pauliſper remorans ſpectatum ſiſte uiator,
Quæ noua delectent iſte libellus habet.
Terrigenæ ſubito nati modo ſemine Fratres,
Inſtaurant forti mutua bella manu.
Sed niſi iam properes periſſe repente uidebis.
Nullus ab hac, certum eſt, ſtrage ſuperſtes erit.

In Aemulum.

Vt tua iam primum contra me crimina uidi,
Vnus qui placuit uerſus & alter erat.
Neſcio quos illis dentes emergere ſenſi,
Qui tamen inflicta mox cecidere manu.
Sanguinolenta nihil laxos gingiua tenebat,
Natiuus quoniam non fuit iſte locus.

Ad Theleſinum Palinodia.

Qui magis offenſis ſæuum uelit anguibus hoſtem,
Infamiq́; ſuos perdere lite ſuos.
Te Theliſine bonum dicat non eſſe Poetam,
Quæq́; facis Phœbo carmina digna neget.
Et quæ peſſima ſunt non optima iudicet, eheu
In tua quòd mendax non ego ſcripta fui.
Quod non ante fui, iam nunc ero, cuncta retracto,
Quæ tibi dedecori dicta fuiſſe putas.
Maximus es Rhœtor, ſummuſq; Poeta, nec ullus

Hacte-

Hactenus è ſacro largius amne bibit.
Victus Virgilius, uictus tibi cedit Homerus,
Et quicunq; iſto numine plenus erat,
Magnus utraq; uir es lingua, & celeberrimus author,
Teutonicæ qualem non habuere ſcholæ.
Non te doctior eſt ex tot mortalibus alter.
Omnia tu ſolus qualiacunq; ſapis.
Magna tibi á nobis facta eſt iniuria, non es
Quem te mentiti diximus eſſe uirum.

Ad Theodorum.

Quòd careas Theodore tuæ cognomine gentis,
Vt quòd ab euentu dem tibi ſæpe rogas.
Forte quòd egregium quiddam moliris, & illud
A ſera ſperas poſteritate legi.
Es caper, & crebri ueniunt in podice ficus,
Hinc mihi non alius quam Caprificus eris.

In Philodemum.

Id quod te laudat ſumme Philodeme poema
Euehis, hoc multo non ſine teſte facis.
Creber erat lector qui poſtquam hæc carmina uidit
Magnus in hoc, ait, es Corde Poeta libro.

Ad Lectorem.

Sunt alios inter tricæ hæc apinæq; Poetas.
Quodue l me lector ſcire tacente potes.
Sed tibi ſi quanto, conſtaret, tempore ſcripſi,
Et quæ ſcribenti fata fuere mihi,

Non du

Non dubito fuerint aliquo quin digna fauore,
Grataq; iudicio qualiacunq; tuo,
Plorantes inter pueros extremaq; dura
Bis tribus hebdomadis creuit uterq; liber.

FINIS.

EVRICII CORDI EPIGRAMMATVM LIber Tertius.

Ad Ianum.

Sic tua iucundo populus ſolennia plauſu
Exigat, hinc illinc prouide Iane Pater.
Dic mihi, quis ueniat miſeris iam Vatibus annus,
Num ſit perpetuus, qui fuit ante, ſtatus?
Quæ tot habes gemina circumſer lumina fronte,
An ſit in hac, muſas qui colat urbe, uide.
An quis adhuc noſtro Mœcænas tempore uiuat,
Quiq; ſuas ſoli non ſibi condat opes,
Qui uelit æternum meritis extendere nomen,
Nec quondam totus poſt ſua fata mori.

Ianus.

Non meliora miſer tibi nuncio tempora Corde,
Ni ſtudium uelles linquere forte tuum.
Non tot ego his oculis, nec cinctus pluribus Argus
Cerneret, Aonium qui iuuet aſſe chorum.

Inuida barbaries uetat, & furioſa cupido,
Non aſinis cordi eſt cantor Apollo Midis.
Eſt tamen Angelicas habitans hic Sturtius ædes,
Qui doctis bonus eſt, doctus & ipſe, uiris,
Quem tibi propenſum ſenſiſti nuper amicum,
Si uelit Auguſtus poßet hic eſſe tibi.
Hunc tua quam poterit, ſi non tuba, fiſtula canet,
Eſurijt nondum cognitus ipſe Maro.

De Ruſticorum infœlicitate.

O infœlices nimium, mala ſi ſua norint,
Agricolas, uenia nunc Maro dico tua.
Flœbilius nihil eſt iſto quàm ruſticus æuo,
Qui ſua ceu ſeruus non ſibi rura colit.
Cum riguit totum nuper & ſudauit in annum,
Milleq; ſollicito dura labore tulit.
Ex tot uix, quantum rurſum ſerat, accipit agris,
Quod ſupereſt deſes uendicat ara ſuum.

Ad Henricum Ortum.

Pulſa diu toto Pietas errauit in orbe,
Nec potuit certam triſtis habere domum.
Ad Carthuſiacos confugit feſſa ſodales,
Hic quoq; munitæ non patuere fores.
Vt quæ fœmineum ſoleant excludere ſexum,
Tantus apud ſanctos relligionis amor.
Quo tamen Inuidia huc, quoq; Ignorantia iure,
Quoq; Superſtitio uenit, & Ira, roges.

Et reliquæ, Ambitio Vindicta Cupido. ſorores,
Quas etiam primas hic còlit ordo deas.
Forſitan exhibito magnæ diplomate Romæ,
Hoc oſtendenti quod libet omne liceat.

De Vigeſia.

Iam ſcio mentitur Vigeſia, qui potes illud
Scire abſens? uideo, qui? quoniam loquitur.

Ad Caſtricum Philoſophum.

Quis nouus iſte furor, uiſendæ Caſtriæ Romæ,
Quo tamen hic ſperas uiuere poſſe modo?
Nil tua te probitas, nil te ſapientia tollet,
Plena ubi cuncta dolis, plena ubi cuncta ſtrophis.
Nil tetricus uultus, nil proderit hiſpida barba,
Leuis ubi tantum præmia puppus habet.
Nec uideo tantæ quid opus tibi robore clauæ,
Muniat unius te modo uirga pedis.
Sola, ſed ære grauis, ſumatur, conſulo. pera,
Hac erit aduerſum concomitante nihil.
Sed ter mille licet defeſſus milia portes,
Cogeris laceris mox tamen ire togis.
Si tam cara tibi daniſtæ pallia uendent,
Quàm redimunt noſtri nunc ibi pontifices

In Manium

In mea te Mani ſæuire poemata dicunt,
Et lecto tunicam diripuiſſe libro.
Non ego cantantem ſtudeo te uincere Phœbum,

Quis tamen hoc eſſet propoſuiſſe furor?
Det meritam, ſi quis certat tibi Marſia, pœnam
Quæ, miſerum, laus eſt excoriare Babym?

De Phillide.

Nullus ubi, Mariæ quem ferret, cereus eſſet
Ad celebrem Februi, lucida feſta, diem,
Tres ſe proſtituit noctes pia Phillis & emit.
Quam timet ultores relligioſa deos.

In quendam Franciſcanum.

Infœcunda decem quædam matrona per annos
In ſterili fertur non peperiſſe thoro.
Hæc ubi forte nouam eſt enixa puerpera prolem,
Vis ea quod diuum ſit uenerata tuum,
Quem raucis adeo clamoſus uocibus effers,
Vt minor huic Chriſti poſtmodo cedat honor.
Tanta quid extollis populo bone numina frater,
Quæ quiuis, etiam tute, cucullus habet?
Vis, hoc quem captas commento, radere quæſtum?
Huic alium, fœtus qui uetet, adde Deum.

Cœlum nunc pharmacopolion.

Pœonias nihil eſt quòd diſcimus amplius artes.
Magne uale Hippocrates, magne Galene uale.
Vos quoq; nunc Medici ueſtras auferte tabernas.
Quasq; tot expoſitus pixidas ordo notat.
Fornaces, uitra, paſtilli, mortaria, ceſſent.
Iſte nihil uobis proderit inde labor.

Facti materiæ iamnunc & pharmaca diui,
  Cuiuſuis præſens ſunt medicina mali.
Ac alias alij uarijs pro peſtibus hærbas,
  Prætercꝙ ſquillas, helleboroſq;, ualent.

De Neæra

Tam graue mirarisnanam funale Neæram,
  Ferre, tulit grauius, ferret ut illud, onus.

Ad Monachos.

Tam quis aperta ferat falſæ mendacia linguæ,
  Quando leues quidam uos ait eſſe uiros?
Nullus ſit timor, id nos nnꝙ credere uerum,
  Hac in uos nemo ſuſpitione fuit.
De ueſtra uariæ paſſim grauitate querelæ,
  Qui miſeris tantum ciuibus eſtis onus.

Ad Henricum Ortum.

Frigida cur maneant calefacto balnea furno,
  Et tamen elicitus ſic mihi ſudor eat.
Non aliam debes, neq; poſſum ego, credere cauſam,
  Quam quod uerſiculos occinis Orte meos.

In ſtatuam Mariæ cæreolos uendentis

Hoc mihi qui ſacrum tranſis altare uiator,
  Siſte, meaſq; dolens commiſerare uices.
Illa ego quæ cœli domina & regina ſalutor,
  Ac eadem ſummi ſponſa parenſq; dei.
In miſeras abiecta, uide, menſaria ſordes
  Expoſitos cogor uendere cæreolos.

Vtq; inhians turpi ſeruire propola lucello,
Ve mihi ſi natus reſciet illa meus,
Ne nexis, timeo, me pellat ab æde flagellis,
Quando uidet ſua quòd facta taberna domus

In eandem

Quid tot adoratam Lupe me ſeſtertia poſcis,
Nonne uides obolos uæner ut ipſa tuos?
Quid dabit exponens gracilem paupercula cæram?
Illos, qui uendunt aſtra deumq; pete.

Miraculum Bonauenturæ.

Sex in coniugio transegit Teſtilis annos,
Et peperit iuueni pignora nulla uiro.
Qui Franciſcanis moriens graue fratribus aurum,
Quod dedit, hac petijt corpus in æde tegi.
Hic dum mœſta ſitum luget, gemit, expiat uxor,
Sæpeq; iam notam ſola frequentat humum.
Et præſens Bonauenturæ pia numen adorat,
In uiduo tandem concipit illa thoro.

Ad Chriſtianum Schroterum.

Quid chariſſime Chriſtiane Romæ
Iam ſeptem remorans agis per annos
Orbæ filius unicus parentis?
Num digniam rear obtigiſſe ſortem,
Dum ſeruum ſtabularius bidentem,
Et fœdum ſtrigilemq; furcilemq;
Exercens olidum colis fimetum,

Et ſca-

Et ſcabros miſer expolis aſellos?
Aut, dum purpureum ſequens galerum,
Diſciſſis caligisq; calceiſq;,
Sacræ pone legis cacata mulæ?
Aut dum ille gregi notariorum,
Hoc eſt furibus additus cinedis,
Romanenſis & ipſe nummiſuga
Iſtos ſacrilegos iuuas Simones,
Qui nos ut rapidi lupi & leones
Imas excoriant aduſq; carnes?
Hoc tu cernere (proh fides) patiq;
Germanus potes, imo Chriſtianus?

Ad eundem

Miror quo tamen orbe commoreris,
Quartam hæc littera fert tibi ſalutem,
Ac unum ne apicem quidem recœpi
Noſter te Catho, quantaquanta Roma eſt
Perqueſiuit, & inde ter reuerſus,
Nullum repperit ille Chriſtianum.

In lupum

Canus & hirſutus, mordax, & auarus, edaxq;
Quàm tibi conueniens mi Lupe nomen habes,
Sed tua te uulpem fraus, inſidioſaq; reddit
Calliditas, fœdum ſpurca libido caprum.
Imo ſacræ ficte dum flens aduolueris aræ,
Sæuis inſidijs trux Crocodilus hias.

Ad Georgium Sturtium

Magna tua eſt, quis ſit nouus, expectatio, Cæſar,
Et nullus, quem non quæris id, hoſpes abit.
Quid Carthuſiacos non poſt pomeria Fratres,
(De tantis dicent ſingula rebus) adis?
Qui poterint, qui clauſæ habitant gurguſtia cellæ
Proq; ſua ſemper relligione tacent,
Et quorum iugis ſolum meditatio Chriſtum,
Altaq; contempto cogitat aſtra ſolo?
Neſcio, ſed quod non prima hæc examina muſſent,
Tam uideo tacitum, tam procul eſſe nihil.
Non modo quod celebris iam Francofordia ſciuit,
Sed totus, norunt, omne quod orbis agit.
Quot modo Saxonico confligunt milia bello,
Quæq; in eo mixtus ſymbola miles habet.
Quàmq; potens ſubitis uindex Franciſcus in armis,
Sueuas imperij nomine, frangit opes,
Et quotus Oceanum mercator remigat æquor,
Quid quæuis, & quo, nauis, & unde uehit
Quot Lupus uxores, quot habet Vigeſia mœchos,
Læta quid Anna canit, mœſta quid Aula gemit.
Deniq; non poteris tam clauſo pædere culo,
Quin hic grex, naſus quàm tuus, ante ſciat.

Ad Ioachimum Camerarium.

Vnde tot oppletis mendici ægriq; proſeuchis
Non eſt admirans quod Ioachime roges.

Si mo-

Si modo quàm multis ſtata ſunt ieiunia diuis,
Videris, & feſti quot ſine fine dies.

Ad Franciſcanos.

Impregnatoris uehitis magnalia diui
Qui tamen hoc caſtus uixit in orbe pater
Aſt alium ſacra potientem uirgine conſtat,
Quaq; ter undecies rem potuiſſe die.
Ipſa nec exhauſit fœcundos ſeptima lumbos,
Nilq; fatigatum quæſtus is inde latus.
Huic ea, uel uiuo potius date numina fratri,
Si celebri plenum uultis in æde tholum.

Ad librum.

Accepture pij uenerabile nomen Eraſmi
Caſtior à nequam ſiſte libelle Iocis.
Si non docta potes, ſaltem caue ſpurca loquaris,
Vix tamen es tantum dignus habere uirum.

De Eraſmo Ro.

Quando nouas docto laudes conarer Eraſmo,
Ridens auriculam traxit Apollo mihi.
Et quid, ait, tentas? tua plectra miſelle recondе,
Aoniam ſupra uir uolat ille chelim.
Nulla iſti ſcintilla poteſt dare lumina ſoli,
Omnia qui radijs luſtrat opaca ſuis.
Arduus adiecta non mica ſurgit olympus,
Paruula tam pandum nec mare gutta iuuat.
Hunc ſua iam dudum uexit ſuper æthera uirtus,

Liuida ſeu nolit ſeu uelit Inuidia.

In Quendam Eraſmi Aemulum.

Ad tua me ſi quando uocas conuiuia, ſudo,
Atq; meæ mallem quodlibet eſſe domii,
Non quaſi lauta minus quòd parcus fercula ponas,
Tam lautus nunquam Sardanapalus erat.
Sed quia de magno ſemper maledicis Eraſmo
In toto meliusquo tamen orbe nihil.
Nunc eſt hæreticus, nunc eſt hic impius author,
Qui reproba ſanctam deſtruat arte fidem.
Qui ſacra diuinæ peruertat dogmata legis,
Infami dignus turpiter igne mori.
Hoc ego dum reliquis ridentibus audio, rumpor,
Et me uel ſurdum, uel procul eſſe uelim.
Lentus in ore cibus nunc huc nunc uoluitur illuc,
Atq; fit inſipiens nobile uappa merum.
Vis gratam ſuper ambroſias & nectara cœnam
Ponere? de tanto dic bene, quæſo uiro.

De Lupo.

Pallida confectus quod ſex Lupus ora diebus
Obtulit, antiquam creditis eſſe febrem.
Non eſt, ſed maior miſerum demacerat angor.
Perdidit ingreſſus balnea tres obolos.

Ad Franciſcanum Concionatorem.

Dicite dum ueſtræ flagrarent ignibus ædes,
Et trepidas quiuis ferret ubiq; preces,

Quo Bonauenturæ ceſſabat numen in orbe,
Quoue morabatur pignora dando thoro?
Non bene, quod tantis aliena negotia curis
Adiuuat, & fratres negligit ille ſuos.
Tu tamen hunc inter medias uidiſſe fauillas
Narras, angelico pone uolante choro.
Falleris, excierat uicinas flamma columbas,
Decepit uiſum nox inimica tuum.

Ad Famulam ſuam.

Fractam exure colum, reſolutum proijce penſum.
Hoc, uideo, nullum fert mihi nere lucrum.
Quaq; duos hora ſputas in fila trientes,
Quæ poſt uix uendit ſexta quadrante dies.

Ad Opercum.

Quot ſtata Thomicolæ celebrent tot feſta ſodales
Eſſe tibi mirum debet Operce nihil,
Illis ecce ſui naſcuntur in arbore diui,
Quot rapido nunquam ſub Cane pruna uides,
I nunc & ride uellentem numina Memphim,
Et quod magna deum Terra ſit ipſa parens.

De Eiſdem Diuis.

Quis plures una conſpexit in arbore picas,
Hac quisquis tranſis forte uiator ais.
Quantus hic eſt error, paruas ſi rere uolucres.
Quos colit hic magnos credula turba deos.

In Somni & Aebrietatis Iconas.

Tam bonus, haud mirum quod nos expreſſit Apelles,
Huic præſens, quando pinxit, uterq; fuit.

In Moriam Eraſmi.

Ne falſo imponat titulo liciture uiator,
Vendens ſtultitiam Bibliopola, caue.
Tam ſapuit nullus Cato, nullus Lelius unquam,
Et peream, ſi plus ipſa Minerua ſapit.

Ad Conum de eadem.

Stulticiam uolui, mittis mihi Cone Mineruam,
Heus, precium codex non habet iſte ſuum.
Vis quod adhuc pluris ualet, iſtis aſsibus addam?
Nil tantum eſt, animam debeo Cone meam,

In Eandem Imi. Mar.

Moria dicta fuit, quater octo leonibus emi.
Redde mihi nummos bibliopola, ſapit.

Ad Laurentium Coruinum.

Sacra placet Phœbo laurus, ſacer ipſeq; Coruus,
Illius en nomen, nomen & huius habes.
Hinc tibi nemo negat facto Coruine Poetæ
Hunc ſua propenſum numina ferre Deũ.
Gratus ut es uates, ſic grata huic omnia pangis,
Sat, mea ſi mulſum fiſtula Pana iuuat.

De Eodem.

Candidus hic noua dat populo ſpectacula Coruus.
Hunc ſibi habens ſacrum ſic dedit eſſe deus.
Audijt hunc dulci modulantem carmina uoce,

Nuper

Nuper ad Aonias quando uolaſſet aquas.
Et cum Caſtalio prope conſpexiſſet ab antro,
In uiridi nymphæ fronde ſedere ſuæ,
Conſonus es noſtro, ſis concolor, inquit, olori,
Ex illaq; manens arbore nomen habe.

Epitaphium Fabullæ.

Tres fuerant Furiæ, ſed ut infera regna ſubiuit,
Auxit iam ſocium, quarta Fabulla chorum,
Quod ſi forſan adhuc tres dixeris eſſe, neceſſe eſt,
Huic ſua dum manſit uita, fuiſſe duas.

In Iuchum.

Nulla dies, magnum qua non traducis Eraſmum,
Mendaci lapides cum uehis ore tuos,
Vectores olim diuorum, ſcimus, aſellos
Rugitu cœlum promeruiſſe ſuo.
Falleris hanc tibi ſi ſperas contingere ſortem.
Non fugit inuictus talia monſtra gygas,
Imo nec æthereas tentat reſcindere ſedes,
Auſpicæ, ſi neſcis, hic mouet arma deo,
Quæ quondam obſeſſum purgans Tyrinthius orbem,
Fœta quibus multum perdidit hydra caput.
Quam cupis hos inter numerari Iuche labores,
Sed potes in tantis nil miſer eſſe feris.
Tetra licet gliſcens effundat aranea uirus,
Non tamen Herculeas inficit illa manus,

Ad Iuſtum.

Inſani mecum certant duo, Sanctra Lupuſque
Et doctoratus depoſuere ſuos,
Depoſui totidem, populans mea prandia, lentes.
Dic utra tu pluris pignora Iuſte facis?

Ad Carthuſianos.

Tanta tuæ ſi ſobrietas Carthuſia uitæ eſt,
Si tantum, te non abſtinuiſſe, ſcelus,
Qui fit ut hinc ſero rediens ſub ueſpere Naſo
Vix trahat inſtabiles ebrietate pedes?
Si tuus hæc ædit populo miracula Chriſtus,
Tunc eadem noſter numina Bacchus habet.

Ad Eraſmum Roterodamū

Doctæ ſuperuacui ſunt Roterodame labores
Splendori Paulum reſtituiſſe ſuo.
Ante cucullati Paulum nouere Sophiſtæ,
Vt queat hic, quod eos iuuerit, eſſe nihil.

Ad Martinum Lutherum de Capro.

Vix noua iam Chriſti floreſcere uinea cœpit,
Lætaq; diffuſo palmite uitis erat,
Et prope conciderant rodentes germina bruci,
Quiſquis & hac tantas ips tenus ædit opes,
Cum de, neſcio quo grege, cuius neſcio caulæ,
Improbus inſultat frondea culta Caper.
Peſtiferoq; ſalax conſauciat omnia dente,
Et necat afflatu proxima quæq; ſuo.
Sedule iam properans tua paſtina uinitor, effer,

Quoq;

Quoq; potes dirum robore perde pecus.
In duram cornuta licet ſe beſtia frontem
Tollat, & elato te pede forte petat.
Se tamen en nulla mancam ſuffragine fulcit,
Qua ſe ſuſtineat, conſpice, parte caret.
Forſitan adiutos alijs admouerit ictus,
Firma tibi, poſtquam te tueare, petra eſt.

De Romanis Bullis.

Quod tua Romulide bullas diplomata dicit
Inſipiens adeo non mihi uulgus erit.
Nam uidet ut ueræ ſint & ſine pondere bullæ,
Ni graue quod plumbum pictáq; cæra premit,
Nos tamen hæc multo, quaſi magna, rependimus auro,
Tam ſtupidus quondam non puto Glaucus erat.
Vupote mutatis aliquid qui cœperit armis,
Hæc præter nugas nil glabra pellis habet.

De Lupo.

Aſpicis extremos Lupus ut fœdarit amictus,
Heſterna madidum nocte fuiſſe putes,
Nil minus, arenti dormitum ſe abdidit ore
Vnum ubi pro zytho non dare uult obolum,
Fœcit id in celebri portans ſacra fercula pompa,
Et ſi lignipedes induit ille ſuos,
Fixum forte luto dum ſe dimiſit ad aßem,
Nec fluidos potuit complicuiße ſinus.

In Quendam Theologiſtam.

Inijcienda rogo frendens ʒiʒania clamas,
Quodcunq; emiſit Roterodamus opus:
Et tibi cum ſolo tanta eſſe negocia Chriſto,
Vt nihil has nugas euoluiſſe uacet.
Exiguo mendax tua lingua errore uacillat,
Nam Chriſon debens dicere Chriſton ais.

Ad Sodales de Iucho.

Audite uos mei Sodales optimi
Heſſe, Orte, Adame, & tu Draco,
Tuq; utriuſq; non leue hic linguæ decus
Ioachime nobilis puer.
Audite quæſo quid noui uobis feram
Iucunda res me hercule eſt.
Iugiq; riſu digna per nouem dies,
Quæ uos iuuabit admodum.
Iucchum probe nouiſtis illum barbarum,
Scatentem ineptijs uirum.
Fortiſſimis quinquercionem uiribus,
Sophiſtico in certamine
Qui tot Bricotos & tot Occamos ſimul,
Omneſq; ſummularios,
Tot Gabrieles, & tot Aluaros tegit
Violaceo, hoc ſub pileo.
Hem, quid loquor? Iuchum uolebam dicere
Probum, frugi, pium patrem.
Caſtum ſacerdotem, ſuis qui moribus

Sacro-

Sacroq; Chriſti dogmate
Sibi ſubditam præiens regit plæbeculam,
Bonus ſuum paſtor gregem.
Hic cum diurni poſt labores tedij,
Grauesq; ſollicitudines,
Triſtem ſemel uellet Catonem ponere,
Pulſiſq; curis uiuere,
Theologicas heri apparans cupedias
Bellum uocauit ſcortulum.
Medijs ubi miſer beatus luſibus
Plenum putaret gaudium.
En efferox riualis huius quiſpiam
Fractis ſubirruit feris,
Sacriſq; corripiens comis ſanctum uirum
Extra ſuas raptat fores,
Per nuda nudum ſaxa, per fœdum lutum
Planaq; ſica dedolat
Flentem, precantem, ſupplici pronum manu,
Suo timentem coleo.
Sic omnibus tuis Eraſme oſoribus
Vt ſemper eueniat precor.

In Encomium Somni.

Oblatum caueas hunc cœperis Arge libellum
Si uaccæ cuſtos uis uigil eſſe tuæ.
Tam bona laudati ſunt hic Encomia Somni,
Vt dormituriat qui ſemel iſta legit.

Ad Vegetium De eodem.

Non ueterem poſt hac Vegeti miraberis Iphin,
Quod ſit in indutum uerſa puella marem.
En enata modo eſt hoc Nocti mentula ſæclo,
Non minus hoc monſtrum, quam fuit illud, erit.
Ante grauis Furias Acherontis pepperit uxor
Nunc placidum, Lethes uir, tulit illa deum.

Ad Caluum.

Quid tibi uis nequam cupiens inuiſere Romam,
Quid tamen eſt animos quo trahit illa, tuos
Peſſima ſtagnanti ſcelerum Camarina palude?
Vnde grauis toto ſurgit in orbe lues.
Quam cuperem clauſas non cæſis rupibus Alpes,
Et nullas iſtac Calue fuiſſe uias,
Non corrupta malos gemeret Germania mores,
Sed foret antiquum cum pietate decus.

De Carthuſianis

Mira tui uis eſt, uideo, Carthuſia uini
Quam quod ei dedit & qua ratione ſolum?
Ex tot ut hoſpitibus toto quos excipis anno,
Ebriet hoc orbos non niſi prole ſenes.

De Lupo.

Quando tribus nouies Lupus arrexiſſet in horis,
Et decimum laſſus non bene poſſet opus.
Nunc, ait, heu canos nonagenarius annos
Senio, me miſerum, terq; quaterq; ſenem.

Ad Valentinum Sifridum

Ter peiora licet, quam ſunt hæc munera mittas
Tu charus tamen, ut ſemper, amicus eris.
Quam uerum huic titulum libro ſuus indidit author
Ipſa eſt, qua Bibulus nauſeet, Ebrietas
Dum lego, quod quoq; te nuper feciſſe putarim,
Quam uel ieiuno, conſpice, uentre uomā,
Quare tot comites opus eſt & mittere pelues,
Quot tu lectores illius eſſe uoles.

Ad Amicum quendam.

Iuro tibi teſtis communia numina Phœbi
Candida quod nullus pectora liuor edit,
In tua ſic iuſſit me libera muſa iocari,
Hoc quoq; tu ſimplex in mea lude modo.
Eſt petulans mihi, quem nequeo cohibere cachinnus,
Nil moueat ſtomachum, ſplen, precor, iſte tuum,

In Quendam Sophiſtam.

Quodcunq; emiſſum eſt authore uolumen Eraſmo,
Aſpectum clamas protinus eſſe nihil.
Hoc nihilo iſte deo ſuperbi quot, mille Chriſto
A grege diſperſas iam lucrifecit oues.
Atq; cathenatas, alter uelut Ogmius, aures,
In uera poſt ſe relligione trahit,
Imo ſui plenam mouit ſtupor undiq; terram,
Ipſaq; contingens maximus aſtra ferit.
Quando tuum hoc aliquid pertæſi hominesque deique

Tarta-

Tartareo merſum ſub Phlegethonte uelint.

De Donatione Conſtantini.

Quam tua Conſtantine ualet Donatio Cæſar,
Qui modo ſit ſano pectore quiſq; uidet.
Quando graues teſtes Paleam bullamq; tot annos
Longæuam conſtat conciliaſſe fidem.

Indulgentiarum querela.

Heu nos heu miſeras, ſapiens Germania poſtquam
Perſpecta tandem ſobria fraude uidet.
Heu fuimus, certa paulatim morte perimus,
Nullus ab hoc noſtri tempore reſtat honor.
Eſſet in his utinam quis adhuc Tecellius annis.
Aptior ad noſtram non foret alter opem.
Magna tamen ſpes eſt ualido bonus Eccius ore,
Si cadet hæc, plumbum, pictaq; cera uale.

Ad Diuum Petrum pro quodam Abbate.

Si tibi pauliſper clauſo ſunt ocia cœlo,
Committens alij limina Petre ueni.
En tibi qui ſacræ tam frugi præſiut ædi
Vno cunctorum ſtat reus ore pater.
Atq; ſuæ iuſſus rationem reddere uitæ,
Te facilem trepido pectore poſcit opem
Non ſine confictо tam ſanctum crimine uinci.
Sed famulum præſens Diue tuere tuum.
Vno qui potuit tot milia perdere uentre?
Num quod conuiuam fouerit ille Lupum?

Ad Ge-

Ad Georgium Sturtium.

Prodiga quàm ſit opum, quàm uecors Teutona tellus,
Et quàm peruerſe relligioſa uide.
Non Romanenſes ſatis eſt implere truones,
Raſorumq; patrum, mille fouere greges.
Quin & mendici diuorum nomine porci,
Tam brutæ pecudes, nos pia dona rogant.

Ad Ionam.

Aut ego dura ſilex, aut ſim Marpeſia cautes,
Si pie te Iona non uehementer amem.
Qui miſerũ, tam læta ferens huic gaudia, Cordum
Cœlicolam toties efficis eſſe deum.
Quid non immortale putem me ſumere Nectar,
A tanto quoties numine miſſa ſalus?
Me quicunq; manet meditetur tollere morbus,
Et properet uacuæ ſiſtere fila colus.
Nil aget, æternus iubet ut ſim ſaluus Eraſmus,
Et ualeam, neſcit, quem uetat ille mori.

Ad Eraſmum Ro.

Indignante feras timeo ne pectore, quod te
Inſerui nugis Roterodame meis.
Neue aliquis dicat, qui uidit talia, lector
Quid facis in fœdo candida gemma luto?
Ob ſine te cæcis lumen præbere tenebris,
Hæc mea, ni præſens ſis nitor, umbra perit.

Ad Attalum.

Scribentis rabiem quereris denteſq; Lutheri,
Et nimis in ſummos libera uerba Patres.
Dum reſupinus agit ſecura Paſtor in umbra,
Delicias ſectans mollis inerſq; ſuas.
Interea q; ruens non eſt qui curet ouile,
Et miſerum populat furq; latroq; gregem.
Vis placidum, uideo, blande obgannire Moloſſum.
Væ qui tanta uidet ferreq; damna poteſt.
Vt taceant homines, aliquando ſaxa loquentur,
Amplius hæc nequeunt Attale monſtra tegi

Ad Eobanum Heſſum de Leo.

Quid rabido fruſtra iuuat indulgere furori,
Quid crepat occiſo Claßicus hoſte ſonus.
Irrita tentamus uanis iam prœlia laruis,
Nulla diu ſentit mortuus arma Leus.
Hunc uiuumne putas, in quem ſua ſpicula fixit,
Ille Iouis nato fortior Hercle gygas?
Sed quis in hanc, etiam exanimem, non ſæuiat Hydrā,
Quis queat ultrices abſtinuiße manus?
Ergo age nulla ferox tangat miſeratio pectus,
Mactemus diram poſt ſua fata feram,
Inq; minuta iacens laniemus fruſta cadauer,
Vipereæ donec pars quota carnis erit.
Sic decet, & phas eſt, ſic furcifer ille meretur,
Dignaq; ter centum beſtia ferre neces,

In Leum.

Hac

Hæc quæ pompa, quod hoc Ranæ miſerabile murmur?
Efferimus charum, conquerimurq; Leum.
Quis Leus iſte? rogas? noſtri decus agminis olim,
Quem dedit ex Anglo magna rubeta mari.
Quo cecidit fato? crepuit, gliſcente ueneno?
Non, Lucam uoluit uentre referre bouem

Aliud in eundem.

Quantumcunq; potes rugi, Lee, ringere, ſæui,
Vel qualis, Libiæ quem tulit ora, Leo.
Non tamen euelles mihi charum uiuus Eraſmum
Mille licet tales ſcripſeris inde libros.
Altior ille pijs infixus cordibus hæret,
Vnguiculi poßint quàm penetrare tui

De Iona.

Vt mixtum rabulis, & cauſſas dicere Ionam
Vidit, & indignnans degeneraſſe deus.
Hoc, ait, hoc pectus mihi finxi, hæc ora poliui
Huic ego diſtribui quinq; talenta uiro.
Hæc electa ſuas mihi debent organa dotes,
Hæc canet in populo buccina deinde meo.
Illuſtranda per hunc uerbi uolo gloria creſcat,
Inſanum domino non tua redde forum.

Ad Eobanum Heſſum.

Me ne putas unquam Paſtorem credere Chriſtum
Ad ſua cuſtodem ſepta ligaſſe Lupum?
Quam multas hic oues, quàm multas occupat agnas

Quot, qui laſciui proſiliere, capros.
Sic tamen in placidos cœpit manſueſcere mores,
Vt ſubigat tantum, non ferus ille necet.

In Leum.

Marmaricum uoluit lepus æquiparare leonem
Deficiens manſit mixtus utroq; Leus.
Si leo, rugiret, uagiret, ſi lepus eſſet,
Nunc neutra hirritum uox magis illa ſonat.
Non igitur mirum quod eum tot protinus hoſtes
Vt rabidum clament exagitentq; canem.

In quendam Theologiſtam

Authores ſcelerum clamas nequamque Poetas,
Et cane uitandos peius & angue, mones.
Ipſum tu ſcelus, & bipedum nequiſſimus idem,
Ex quo tam mala, dic, ſit tibi uita Petro?
Ex quo nam Paulo, dic ex quo deniq; Chriſto?
Quos legis, & ſolos dicis habere libros.
Caſtalis unda nihil, nihil Aoniæq; ſorores,
Deprauant animum ſcorta merumq; tuum

In auarum Sacerdotem.

Aſpicis ut triſti querulus tibi ruſticus ore
Lachrymet, & trepido ſuppliæt uſq; genu.
Et ſua differri petat unum debita menſem,
Dum terat inuectas proxima meſſis opes?
Tu uehemens tamen exactor nil ſegnius urges
Perq; tot excluſum cogis ab æde dies.

Nec

Nec numerata mouent te pignora, nuda nec uxor,
Quæ ſedet & uacuos eſurit ante focos.
Vos Epicuræo dum pingues è grege porcos,
In plœnis ſimplex turba ſaginat haris.
Hunc debere pios, reſpondes forſan in uſus,
Vt ſolitum fiat manibus inde ſacrum.
Atq; autore negas te poſſe remittere Chriſto,
Quæ ueniunt domino perſoluenda deo.
I omnes potius conſla ſimulachra per aras,
Vtq; iuues fratres, dirue templa, tuos.
Has Deus exequias, hæc de te iuſta requirit,
Nullas defunctos crede beare preces.

Ad Ionam.

Quod uideo? Ionam Ionas legit et ſuus idem
Ipſius interpres, ſe ipſe Propheta docet?
Sed facile hoc faciet qui ſemet nouerit ipſum
Admonitus titulo Delphice Phœbe tuo.

Oenomaus ad Bullarum redemptores

Conſulo non fragili ſapientes fidite ceræ,
Non ad ſperatum uos uehet illa locum
Id quondam experto ſi non mihi creditis, unde
Icarijs uenit, quærite, nomen aquis.

In Leum.

Magnus ut Alcides Lernæam contudit Hydram,
Repſit ab immundis deprope cancer aquis.
Egregioſq; parans interpellare labores,

Strinxit in apprenſum, ſed pede, tela deum,
His tamen æthereæ meritis hic additus arci
In medio clarum uertice ſydus habet.
Quod Leus expendens, erit hoc imitabile dixit,
Non aliam uidit, qua petat aſtra, uiam,

In eundem.

Quod, cum Stymphalis ſic ferris in alta uolucris,
Exurgenſq; ſtudes obtenebrare iubar,
Decidis Herculeo traiectus pectora telo,
Omnis Io Pæan muſica turba ſonat.
Et concurrit humi fuſum uiſura cadauer,
Atq; ſtupens ungues deuouet ille tuos.

In eundem.

Non alio poteras orbi innoteſcere pacto.
Quàm tibi quòd magnus leſus Eraſmus erat
Perpetuos uiues, ſed qualis Zoilus, annos,
Lethæo ſatius ſupprimerere lacu.

De Eodem

Quòd magnũ uocitem, Leus indignatur, Eraſmum,
Quodq́; ſit hic humili corpore forte refert.
Ardua ſublimi qui ſydera uertice pulſat,
Totq́; Gygantæo monſtra labore domat.
Lapſa cui innitens Pietas nunc undiq; ſurgit
Quo ſacra ſuppoſito ſiſtit Atlante fides.
Deniq; quem nullus poterit contingere Liuor,
Hunc ego non magnum dixero iure uirum?

Ad Sabellum.

Audi quæ fuerant heſternæ ſomnia noctis,
Et reputans num ſint uana Sabelle uide,
Viſus es Heſiaco iuuenis ſeruire Poetæ,
Ille nouus forſan Gymnaſiarcha fuit.
Neſcio quæ tacito prætendens tedia uultu,
Hac plus nolebas conditione premi,
Effugis, & timido portatur ſarcina dorſo,
Pone ſequens alto clamitat ille ſono.
Quo malefide ruis? ſic me ſic peſſime fallis?
Hanccine com‑merui credulus ipſe fidem?
Cur iſtos tecum libros? non hic tibi pannus
Pertinet, induuias fur mihi redde meas.
Hæc mihi non per ebur, ſed cornu uiſa putabis.
Arboreæ quando non cecidere comæ.

Ad Linum & Arrium.

Tu Line uis monachi, tu uis cacodæmonis Arri
Inuentum, cita quæ machina ſaxa iacit,
Nil ita diuerſi uerum puto dicitis ambo.
Impius eſt idem cum Satana monachus

In Leum.

Vis Lee uis dicam, quam te ſit maior Eraſmus,
Et tibi ſi magnus tu uideare Gygas?
Ac ipſum Enceladus tentes reſcindere cœlum,
Imo ſuppoſitus ferre puteris Atlas,
Quotquot ſunt uſquam terrarum congere montes,

Nil dubito uires id quoq; poſſe tuas,
Accumula Rhodopen, Parnaßum, Pelion, Oſſam,
Pyrenen, Eryœm, Caucaſon, Hemon, Athon,
Et toties triſido Iouis icta Ceraunia telo,
Quiq; ſtat immenſæ maximus Alpis apex,
His ſuper extremos ſtans ex porrectus in ungues,
Quantum ſydereus fert Draco tolle caput.
Nulla tamen ſpes eſt imos contingere talos,
Sat tibi ſi tanti ſit uola prenſa uiri.

In Eundem.

Quod miſer à multo Lee ſic proſcinderis hoſte,
Et uelut Aetolus ſollicitaris aper,
Non noſtra eſt leuitas, nec edens præcordia liuor,
Nec malus Eumenidum concitus angue furor,
Sed communis amor, qui publica commoda ſpectat,
Et quæcunq; uidet ſurgere damna cauet.
Quo ſi ſic agitur reprimens incendia uulgus,
Inſectanſq; ferum ruſtica turba lupum,
Cur tibi parcamus, cur non tibi peſſime ſerpens,
Frangimus inuiſum conterimuſq; caput?
Qui totum iam tabe tua ſic inficis orbem,
Peſtiferoq; pios ſibilus ore necas.

De Mela.

Nuper adorta Melam letali tubere peſtis,
Cunctantes iuſſit fila ſecare deas.
Sed medica properans cum pixide Cinthius inquit,

In co

In comites poſſunt nil fera fata meos.

In Lupinam.

Quaq; ter hebdomada caſtas accedit ad aras,
Et capit angelicum prima Lupina cibum,
Quo nihil indignans exemplo offendere coniux
Hic illi merito iuſtus habetur honor.
Vt quæ quindecimo myſtæ conſueuit ab anno:
Inq; ſacras æquum ius ſibi poſcit opes.
Hanc ſi quando tuam, quare caue, reſciet iram,
Cœleſtes ſtabis flœbilis ante fores.
Quandoquidem dominas cum geſtet ad omnia claues,
Illius quoq; uult accipietq; feræ.

Ad Georgium Forchemium.

Docte uir, & ueræ feruens pietatis amator,
Cui data Chriſticolæ caula tuenda gregis.
Quid te ueſani uecors dementia uulgi
Afficit, hæreticum quod uocat illa uirum?
Dum ſyncera doces diuini dogmata uerbi,
Quoq; decet noſtrum corripis ore nephas.
Scis quod ſortita eſt uiciorum nomina uirtus,
Et graue iam probitas integritaſq; ſcelus.
Non ideo acceptum ſub terram conde talentũ,
Fac referat lucrum, qui dedit, inde ſuum.

Ad Martinum Lutherum.

Chare mihi in Chriſto Ieſu ſuper omnia frater,
Imo uerende magis relligione Pater.

Quam gemo quam doleo, tua quam diſcrimina plango,
Et quas mille ſubis pro pietate uias.
Heu quotus è cæcis ſerpens proſibilat antris,
Triſteq́; uibranti uirus ab ore uomit,
Quanta tibi diram meditatur factio mortem,
Quam multus paſſim te crocodilus hiat,
Et potes hos cœlo fidens contemnere rictus?
Virtutis ſpecimen grande profecto tuæ.
O uere fortis ſuper omnem miles Achillem.
Firmet in hæc auſpex te modo bella Deus.
In te iacta ſator non perdit ſemina Chriſtus,
Quanto luxurians fœnore ſurgit ager.
Liuidus hanc ſegetem zyzania iudicat error?
Hei mihi quam demens regnat ubiq́; furor.

Ithyphallus.

Heus tu præteriens uiator heus tu,
Noſti uerſificem, cedo, ne Cordum,
Triſtem grammaticæ ſcholæ magiſtrum?
Qua turrita foro minatur ædes,
Et grandi tremefacta mugit ære,
Hic illum ſibi nuper emit hortum,
Et iuſſit ſua poma me tueri,
Quo nil munere durius ſubiui,
Tot furtum faciunt mihi puellæ
Queis nulli mea tela ſunt timori,
Quantumuis miner, & luant prehenſæ.

Imo plus ueniunt ob baſiæ pœnas,
Quam quod ſurripiant, age ergo uade
Ipſi dic domino meo poetæ,
Si quid uult reliquum quod inde carpat,
Vt caſtret faciatq; me ſpadonem,
Et tutam miſero ferat quietem,
Aut tanti ſocium Lupum laboris.
Quamuis rancidulum ſenecionem
Alternis mihi ſubroget diebus.

In Ioannem Eccium.

Quod, quoties aliquam nouus intras hoſpes in urbem,
Monſtreris digito, turbaq; clamet, hic eſt,
Non ita faſtoſas tam turgidus erige criſtas,
Nec tibi, tanquam hoc ſis dignus honore, place.
De te tanta fere toto eſt iam fabula mundo.
Vt uultus cupiant, ſaxa uidere tuos.

In Aurelium.

Charus mihi quondam ſodalis Aureli
Eras, cui meum omne conſilium ac pectus
Concredidi, ſtudiumq; & officium impendi.
Quod integer bonuſq; tum uidereris.
Sed cum tui tandem mihi liquent mores,
Quod omnibus doctis, probis, pijs, ſanctis,
Qui priſtinam cum litteris Fidem inſtaurant,
Infenſus hoſtis inuides & obtrectas,
Longum tibi iam diſſidens uale dico.

Fruſtra ergo miſsis inde muneribus captas,
Iam deſitum nec ut prius frequens Salue.
Veri una ſeruatrix amoris eſt Virtus.

In Effigiem Mariæ, cæreolos uendentis.

Sit te diua parens factam iuuat eſſe propolam,
Nec pudet indignis inuigilare lucris,
Hanc potes utilius Romæ diuendere cæram,
Vncia qua multis milibus una licet.

Aliud in Eandem.

Non pia turba tuos credas me poſcere nummos,
Hanc ſiquidem cæram non tibi uendo meam.
Has miſeram in ſordes me perditus ordo redegit,
Conſpicui ficta relligione patres.
Quorum tanta fames auri, tam ſæua poteſtas,
Vt ſeruum ſubigant in ſua lucra deum.

De Ioanne Eccio.

Viſus in hac leuibus bullis grauis Eccius urbe
Fertur apud caluos delituiſſe patres.
Qui tamen intuti monſtrum agnouiſtis amici,
Nulli cui frons eſt, nulla cui facies?
Hunc ego nec faciem, nec habere putauero frontem,
Quem non tantorum totq; pudet ſcelerum.

De Lupo.

Vult canus famulum Lupus miniſtrum,
Iſtam quiſquis obire ſeruitutem,
Sic cogente, cupis, neceßitate,

Mox, ne præueniaris, aduolato.
Quæris quæ tua ſit futura merces?
Antiqui duo calcei dabuntur,
Et par lignipedum, ſed id quod ante
Attriuit medias ad uſq; calces.
Et ſi te modo geſſeris fidelem,
Donabit laceram tibi tiaram,
In qua dormijt octo iam per annos.
Contentus quoq; ſimplici amne uiues.
Inciſoria, cruſta, miculaſq;
Et quas de tribus offulas ſelibris
Poſt quartum putridas diem reliquit,
Cœnæ lauticias tuæ putabis.
Tanta, perfide, liberalitate
Inſignem ſapiens herum recuſas?

Ad Ioannem Draconem.

Hæc tibi poma meo pauper de rure Priapus,
Has tibi ſeruauit dulcis amica nuces.
Nil mihi laſciuæ reliquum liquere puellæ
Quæ nimis huc audax inſilicre cohors.
Non reſupina tamen tulit hoc ignauia damnum,
Cuſtodis nocuit ſtrenua uirga dei.

In Laute prandentes Philoſophos.

Sardanapalico dum uos conuiuia luxu
Ducitis, & tantas hora ligurit opes.
Sorbile cum tenera mihi crambe ponitur ouū.

Vtra ſophos potius dicite menſa decet?

In Eoſdem.

Nunc agite ô ſancti potate, uorate, Catones,
Tendite nunc auidam quo iuuat, uſq; gulam.
Triſte ſupercilium, criſpamq́; remittite frontem,
Libera iucundis ducite uerba iocis.
Fictæ tota procul uirtutis hypocriſis abſit,
Nullus qui poßit carpere Cordus adeſt.

Ad Adamum Cratonem.

Ad ſua contemptum non plus conuiuia Cordum,
Inuitant tetrici, liuida turba, ſophi.
Contrectata meis temerem ne pocula labris,
Qui ſtror inceſtos euomuiſſe iocos.
Interea multus tamen hic conuiua recumbit,
Quem dedit huc ciuem fœda Gomorra ſuum.
En mala qui patrant ſceleroſi crimina prandent,
Qui nequit hæc æquo pectore ferre, famet.

De Lupo.

Effuge feſtino curſu miſer effuge Corde.
Nonne uides quam te magna pericla manent?
Ille tibi pluſquam Lupus infeſtißimus hoſtis
Aduenit à pranſis ebrius ecce ſophis.
Hei mihi quam toruo ſcintillant lumina uultu,
Væ ſi me media prenderit ille uia.
Omnes excutiet, niſi me ſubtraxero, dentes.
Quo fugiam? pugnos librat utrinq; ſuos.

Sed bene, ad offenſum lidens ueſtigia ſaxum
Corruit, & fœdo mergitur ille luto.
Quid tanto rides circumflua turba cachinno?
Quin adiutricem, quam petit, adfer opem.
Sed uideo tua quod ſit, eum periiſſe, uoluntas
Qui malus ipſe cupit quemq; perire bonum.

Ad Eobanum Heſſum.

Hoc te neſcio quæ dare ueſpere mactea dicis,
Cum cupis ad cœnam me properare tuam.
Nullis lauticijs opus eſt, nulloq; paratu.
Tantum ſcribe recens eſſe poema tibi.
Et uolucri ſubito ueniam pernicior Euro,
Ambroſius cibus hoc, nectareuſq; latex.

Ad Ancum.

Octo pollicitum petij te quattuor urſos
Plena quibus foſſo conditur olla ſolo.
At tibi nunc iuras non quattuor eſſe leones,
Quòd malus inuentus fur popularit opes.
Hanc propter peius nihil imprecor Ance repulſam,
Hæc quam quod ſalua uerba loquare fide.

Ad Seipſum.

Blandiri neſcis, nec uerum Corde tacere,
Et mirare tuos diſplicuiſſe libros?

Ad Cæſarem.

Hunc tu contemptim diuum colis impie Cæſar,
Ac inter ſuperos ambigis eſſe deos?

Qui ta

Qui tamen ut merito quotus inſereretur Olympo
Ter dedit Auſonij mille talenta Patri.

Ad Fœnuliam.

Te cruciare tuos querceris Fœnulia dentes,
Et medicam iugi me prece poſcis opem.
Vis ſemel hunc ut non redeat ceſſare dolorem?
Poſtremos fac adhuc extrahat Vdo duos.

EVRICII CORDI EPIGRAMMATVM LIBER QUARTUS.

Ad Georgium Sturcium.

Regie Mœcenas, & diue Auguſte Valete
Fert ſimilem, ueſtri Sturcius inſtar, opem.
Qui graue pro leuibus reddit mihi uerſibus aurum,
Mittit & Acoi lucida dona maris.
Non tantum, per auara quidem ne ſomnia, munus,
Vix erat in uotis curta ſelibra meis.
Iam nihil Aonij pertæſum pœnitet oci,
Hæc dare ſi tandem grata Thalia poteſt.

Ad Bobanum Heſſum,

Quid tua Lethæo torpeſcit Muſa ueterno,
Mutaq; ceſſanti pollice plectra ſilent?
An nouus hac quod ſit, neſcis, Auguſtus in urbe,

Qui

Qui placido Clarium reſpicit ore chorum
Sic mihi in æternum dicendus Sturtius æuum,
Pro paruo magnas carmine qui dat opes.
Si tantum mihi dat, qui uix ſum Chœrilus, aurum,
Quæ tibi non ſperes munera docte Maro?

In Iuchum.

Frugi, bonus, caſtus, probus, pius, ſanctus
Meo uocatus eſt Iuchus in uerſu,
Quod ut uidet, tumultuatur, inſanit.
Quare rogas? iniuriam nequit ferre.
Vt ergo placetur uocabo eum nequam
Malum, improbum, inceſtum, impium atq; pollutum.

Ad Vrum.

Ipſe ſuas iam carpatinas attriuit Ouillus
Dum uidet an ſoleas fœceris Vre meas.
Sat ſi tot poterint ſaluæ durare diebus
Quot iamdudum ipſas conſuis hebdomadis.

De Lupo.

Sex Lupus aßiduo Gabrielem legit in annos,
Extendens uires pectore & ore ſuas.
Vnus, & hic multa uictus prece, uenit alumnus,
Et longas deſes dormijt uſq; moras.
Qui leuium tandem pertæſus friuola rerum,
Maluit infernum triſtis adire cahos.
Ex hoc ſola die ſoli ſubſellia reſtant.
Diſcipulos Doctor nunc habet ille ſuos.

In Eundem.

Quòd mihi ſit tenuis gaudes obiciſq; facultas,
Nec melior, Codro quam fuit ante, domus.
Teq; refers omni poſt uelle ſtudere labore,
Vt nullas habeam prorſus egenus opes.
Hæc tua religio, crucifixi hæc dogmata Chriſti?
Hæc eſt, Rabinus quam profitere, fides?
Taliter affectus ſtas ſacra in ueſte ſacerdos,
Hoc age, tu magnum conficis ore deum?
Hoc ſolitas animo ſupplex proſtratus ad aras
Vis ſanctum credat te pia turba uirum?
Ter licet innocuum te uellere finxeris agnum,
Qui tamen es nunquam deſinis eſſe Lupus.

Ad Schalbum.

Sacrificaturus ſubit altam funiger aulam,
Forte pedes lignis exuit ante ſuos.
Quæ foris ut ludens hinc iactat & inde iuuentus,
Et ferit ad duram comminuitq; petram,
Proſiliunt fuluæ duo ferme pondo monetæ,
Sub ſacris ibi quæ delituere uolis.
Hunc quis Schalbe neget ſuperis intendere fratrem,
Terrenas qui tam ſedulo calcat opes?

Ad Sedecianum.

Quattuor interpres pia Chriſti dogmata menſes
Diſcipulis legi Sedeciane meis.
Quod modo reſciſcens raſæ Lupus Alpha farinæ,
Proie-

Proiectum porcis clamat amaracinum,
Meq; ſcabros medicos iubet obſcœnoſq; Poetas
Curare, & ſacris linquere ſacra uiris.
Non mihi de tantis phas dicere ſcireq; rebus,
Vt cui non glabra ſit calua, nec uncta manus.
Nec data laxarunt reuerendos prandia uentres,
Et poßum nullis eſſe ſophiſta modis.
Deniq;, quod maius ſuper hæc tam magna piaclum,
Eſt mihi legitimo iuncta puella thoro.

De equo in templum irruente.

Ad ſacrum Paulus prope Geræ flumina fontem
Raſit ſacrificos illiniitq; nouos,
Excußo ſubiens hic inceßore caballus.
Se media uiſo miſcuit æde choro.
Nempe rudes cernens quod tonderentur aſelli
His dignum ſacris ſe quoq; duxit equum.

In Antonianos Stationarios.

Venit ad æthereum defunctus piſtor olympum,
Quem repulit clauſas ianitor ante fores.
Tunc ubi diuus, ait, pater eſt Antonius ille,
Cui pinguem paui bis duo luſtra ſuem?
Obſcuro latet hic, inquit Petrus, ille ſub antro,
Non oculos audens huc aperire ſuos.
Tam pudet iſtorum ſcelerum quæ tantaq; totq;
Illius nequam nomine turba patrat.
Quando prophana uehens immenſum ſacra per orbē,

A ſatua tantas plebe coauget opes.

De Furibaccho.

Quidam, quam nunquam uidit, quod cœcus amarit,
Magnus, qui mihi nunc excidit, autor, ait
Hoc ego non adeo mirabile duxero monſtrum.
Ignorans Sophiam ſic Furibacchus amat.

Ad Lectorem.

Quis ſit hic in noſtro Furibacchus carmine quæris.
Vt taceam ſignis proditur ille ſuis.
Nempè bonas totus furit & bacchatur in artes,
Hoc ſibi qui meritus conſpicæ nomen habet.

Ad Franciſcanos.

Dicite qui nullum mendici attingitis aſſem,
Et geritis mundas prorſus ab ære manus.
Vnde ſit hæc ueſtri tam magna pecunia fiſci,
Vt quater Attalicas æquiparetis opes?
Si pia ſtips tantas nummorum cogit aceruos,
Non dubitem Phrygius dona rogare Mydas.

Ad Coniugem.

Garrula nil cures quid cras uicinia dicat,
Cum tuleris nullas in ſacra templa faces.
Oſtentent aliæ ciues quantaslibet haſtas,
Quas etiam totus mittit Hymettus opes.
Tu cape ſaluifici cœleſtia dogmata uerbi,
Et iugi Paulum uolue Petrumq; manu.
Scilicet hæc cœcas animi candela tenebras

Diſcu-

Diſcutit, & claram pandit ad aſtra uiam.
Hic ubi perpetuo colluccnt omnia ſole.
Et noſtræ ſuperi nil ope lucis egent.

De Franciſcanis.

Vix erumpenti flagrans ſtetit igne lupanar,
Et medium nondum nox faciebat iter.
Altus ubi ægra hominum ſopiret corpora ſomnus,
Primam lignipedum turba ferebat opem.
Nulla hæc ſedulitas nulla hæc uigilantia, uerum
Hic pernoctantes exiliere uiri,

Ad Candidum.

Sex petis aureolos credam tres candide menſes,
Heu mediam uellis dulcis amice manum.
Sacrificum potius Furibacchum quære, ſed huic tu
Reddere poſt illos, cogeris octo, dies.

Ad Bedam.

Parce tuis digitis & mancæ Bæda ſiniſtræ
Quis furor eſt quod ſic mortua ligna feris?
Si qua Lutherani te læſit concio Iuſti
Ipſe luat, menſam nec mihi frange meam

De Eodem.

Antilutheranis conuixit Bæda cucullis
Væ menſæ, modo ſi uenerit ille, meæ.

De ruri mendicante Monacho.

Raſus ubi nuper rus caſcolarius iſſet,
Et medio prenſus nocte fuiſſe agro.

A quodam petijt communia tecta colono,
At lectum ſtrauit non grauis ille ſuum.
Et ſe ſtramineo procul in centone locauit,
Tanta boni pietas relligioq; uiri.
Ante uocata alio Lucinæ ad munia coniunx
Tunc obſtetricem forte ferebat opem.
Quæ redijt decimam, ſed rerum ignara, ſub horam,
Altus ubi preßit languida membra ſopor.
Hanc uigil indomitis excæpit hypocrita uotis.
Conſortem patiens credidit illa ſuum.
Tot mirata uices tandem, & graue uentris onuſum,
Caluum per lunam conſpicit eſſe caput.
Mox quendam ſtupefacta putans cacodæmona clamat,
Et uocat amiſſum terq; quaterq; uirum.
Irruit hic, & ut id ſacro audit in hoſpite crimen
Turpe ſtatim iuxta fœmina ſcindit onus.
Et, tantos eunuchus habes tu perfide teſtes,
Tam potes indignum ſumere nomen, ait.
O miſeros ciues, infœliceſq; maritos,
Qui magno ſaturant talia monſtra malo.
Multa Semiramis hac ſit Paſiphaeq; neceſſe eſt
Illi qua regnant urbe boues & equi.

Ad Argum.

Iam tribus aßiſtis Ruffo conuiua diebus,
Et non, quod luſcus lippiat, Arge uides.
In cochleare tuo tenuem uidet ille capillum.

Quam

Quam non conueniens hoc tibi nomen habes.

Ad Floram.

Non ita teſtanti faſtidia corde ſuperbi,
Nec tot te dignos Flora repelle procos.
Inſigni fateor facie pulcherrima uirgo es,
Sed, quo tu potius reijciaris, habes.
Conſpicuo ſyluas anagyris flore decorat,
At quæ cauſa quod hinc nulla corona placet?

De Ruſtico.

Deprenſum leporem portauit ruſticus Alcon,
Obuius huic pagi forte magiſter ait.
Sex numera libras edictam perfide mulctam,
Prendiſti quam ſcis principis eſſe feram.
Portaturus eram tibi, mendax ruſticus inquit,
Quamuis cauliculos roſerit illa meos.
Non uoluit nudis præfectus credere uerbis,
Sed ſancte adſtricta certior eſſe fide.
Itum eſt uicinas raſi paſtoris in ædes,
Iuret ut hic Chriſti per ſacra uerba dei.
Quæſituſq; Euangelij liber omnibus antris,
In tota nullus ſed fuit ille domo.
Hic ficto intrantem puerum grauis ore ſacerdos
Corripuit, quis obe biblia noſtra tulit?
Cui puer, heſterno bene potus ueſpere neſcis,
Fregiſti noſtram dum fureres in heram.
Et ſimul oſtenſas ibi poſt cunabula partes,

Collegit lacri ſedulus alueoli.

In Ephemeridas.

Quis regat inſtantis uaga tempora Iuppiter anni,
Conſule dicentes lector Ephemeridas.
Illius admonitus prius, ut contraria dictis
Accipias, ſic non tam rata Phœbas erit.
Si triſtes pluuias tempeſtateſq; minantur,
Expecta placidos & ſine nube dies.
Si rapidos ſoles, penetrabile frigus aduret.
Si dubias auras, tunc ſtata ſuda mane.
Deniq; quodcunq; eſt in eis ſic ſemper habeto
Tanquam quæ uarius fœdera Papa ferit.

De Monacho.

Dum lecturus ijt ruri pia munera frater,
Conſpectum cœpit ſollicitare lupum.
Quo clamore citi ſubito accurrere moloſſi,
Dimiſſaq; uirum corripuere fera.
Quippe magis nocuum potuerunt noſcere monſtrum,
Et nos hoc diuos credimus eſſe genus?

Ad Coniugem.

Chara uale coniunx, Italas proficiſcor ad urbes,
Hic ſtudijs latum pilea digna meis.
Interea frugi communia pignora mater,
Qua conſueuiſti ſedulitate foue.
Teq; tuumq; mihi ſerua ſine labe pudorem,
Altera perpetua Penelopæa fide,

Contra non inſidus ero, neq; lentus Vlyſſes.
Me reducem, ſpera, prima reducet hiems.
Nullaq; me Circe retinebit, nullaq; Siren,
Nullaq; plus dulcis te mihi lotus erit.

In imaginem Crucifixi pro Mercuriali ſtatua iter monſtrantis.

Si te multifidus uaria in ramalia trames
Duxerit, & dubium fecerit error iter,
Aſpice qua fixus media inter compita Chriſtus
Indicat, hac rectam noueris eſſe uiam.

Aliud.

Quod tetrici nunquam potuerunt ante ſophaſtri
Indicat hæc ueram lignea dextra uiam.

De Georgio Sturcio.

Intentis oculis patuloq; ſtupeſcis hiatu,
Dum numerat gemmas Sturius ille ſuas.
Intima ſi reſeret candentis ſcrinia cordis,
Maiores illis conſpicerentur opes.

Ad Carolum Cæſarem in Comicijs Bormacianis.

Signandus niueo dies lapillo,
Dilutoq; mihi notandus auro
Inter maxima feſta primus, in quo
Præſentes licuit uidere uultus
Illius Dominiq; Principiſq;,
Qui totum regit & tuetur orbem.

Auguſto imperio, ſuaq; diua
Maieſtate ſerenat, ornat, auget.
Hæc fauſti tua ſceptra dij ſecundent
Inuictiſſime Carole Imperator,
Vt te Cæſare Chriſtiana tandem
Fœlici pietas reſurgat auctu.
Hoc fiet, pius ille ſi Lutherus,
Coram te modo qui citatus adſtat,
Seruetur, quod & orat audiatur,
Nec des tam faciles benignus aures
Vafris fraudibus Auſonum Sinonum.
Quærunt interitum tuæ ſalutis,
Et tantum ſibi conſulunt uidebis.
Hoc prædicere me tibi memento
Vatem Laocoonta diue Cæſar.

Ad Martinum Lutherum.

Heu fruſtra ſuauem Chriſti diſpergis odorem,
Taleq; diuino nectar ab ore fluit.
Hic ubi tot uentres contra peduntq; cacantq;,
Et tantus pecorum ſordet ubiq; fimus.
Hæc nouus Alcides opus eſt ut ſepta repurget
Si modo doctrinam uis redolere tuam.

Ad Dominicanum Monachum.

Quod ſecurus abit uictorq; impune Lutherus
Iuſta quidem pectus commouet ira tuum.
Quippe tot, ut dicis, qui merſit ad infera uitas

Deberet merito publicus igne mori.
Quando, cum uellent unum dijs iungere diuum,
Quatuor è uobis ſic periere patres.

De Mulomarito Bormaciæ ſubmerſo.

Poſſe pium uinci, pareret ſi mula, Lutherum
Quidam deridens Pontificis uir ait.
Audijt hæc gaudens Italorum cœtus & inquit,
Maxima nunc cauſæ eſt ſpes Aleandre tuæ.
Scilicet hoc Galbæ ceßit fœliciter omen.
Vt Latia fieret ſummus in urbe pater.
Et ſimili oſtento uictor Babylona Darius
Cœpit, & hic uerax eſſe propheta poteſt.
Quare ſi quid habes Iudææ fraudis & artis,
Perdendo ſollers inſidiare uiro,
Nos ſolito uxores pectemus ſtrigile mulas,
E tanto pariet forſitan una grege.
Poſt paucos manifeſta dies fraus illa pateſcit,
Phuh inter fœdum prenditur unus opus.
Quem poſt dum rapidis Rheni ſubmergeret undis
In medio ridens agmine lictor ait.
Tunc tua conuictum ſuperabit Roma Lutherum,
Iſtud ubi ebiberis Mulomarite uadum.

De Eodem.

Dum ſtat ad undantis ſubterflua brachia Rhœni,
Poturus meritas antilutherus aquas.

Reſpi-

Reſpicit uxores miſerando lumine mulas
Non mea ſed, dicens, mors mihi ueſtra dolet.

De Eodem.

Mirata eſt ſubito caros Bormatia piſces,
Et uacuum toto menſe fuiſſe forum.
Conſultus tandem quæ nam hæc penuria Rhenus,
Iſte mali cauſſa eſt mulomaritus ait.
Scilicet horrendum hoc atq; execrabile monſtrum,
Squamea ad Oceanas turba refugit aquas,

Ad Mantuam urbem.

Exoptata diu tandem te Mantua cerno,
Inclyta diuini patria Virgilij.
Hic patulæ recubans olim ſub tegmine fagi,
Paſcentes cecinit Tityrus inter oues.
Hos Melibæus agros, hæc dulcia rura reliquit
Hic uitreis undis Mintius ille fluit.
Hanc duxere pedes hac triſtem Mœrin in urbem,
Amiſſos Lycidæ dum quereretur opes?.
Salue perpetuo notiſſima nomine ſedes,
Qua madet extremis ultimus orbis aquis.

De natali ſolo Virgilij.

Quas dic nauita remigamus undas?
Stagnans Mintius hanc facit paludem.
Sed qui gurgitibus ſtatim retractis,
Anguſto fluct incitatus aluo,
Et mixto celeres Pado uehemur.

Hic

Hic quis pagus in hiſce populetis?
Noſtris iam Pietula nominatur,
Sed quondam fuit ille dictus Andes.
Quæ nam'quæ prope luſitant puellæ?
Ipſas Aonides uides ſorores,
Quæ natale ſolum ſui Maronis
Læto concelebrant choro, ille Vates
Hac primas ibi ſede traxit auras.
Sanctas præteriens Deas honora.

Ad Ioan. Manardum.

Paucos diſcipulos paſcens ubi uidit aſella,
Dum uacua legeres docte Manarde ſchola,
Quam precioſa cadat ſine fructu lectio dixit
Doctrinæ auditrix ſim prius ipſa tuæ.

Ad Eundem

Cur homo te magnum dubitem profitente Galenum
Diſcere? bruta tuas intrat aſella ſcholas.

Aſella ad expulſorem.

Non ita me duro miſerandam uerbere cede,
Quin condiſcipulam da reſidere tuam.
Hanc uenio auditum quam uos hic diſcitis artem,
Huic operam ſtudio nunc dabo ueſtra comes.
Tot ſiquidem, uideo, medicina beauit aſellos,
Mutabit ſortem forſan & illa meam.

De Lyco.

Ima Lycum crebri pulices per tempora pungunt.

Cur? nitet in rutila plurima gemma manu.

Ad Nicolaum Leonicenum.

Ergo relicta mihi magno Germania ſumptu,
Hæc, quòd ſum tantum, cauſſa, profectus iter?
Vt Latiæ in Latio faciam diſpendia linguæ,
Quam potui in media diſcere Barbaria?
Mirum eſt quæ infectus traxit contagia ſermo,
Dum medicos uerſo, Barbara ſcripta, libros.
Tu tamen id docto uicium mihi corrigis ore,
Atq; tua, quod in hoc perdo, reponis ope.
Qui tot ſcabra polis, tot quæ ſunt aſpera tornas,
Cogis & excultis mundius ire togis.
Nec parcis grauibus nonagenarius annis,
Quin tuus hic feruet nocte dieq; labor.
Tanta iuuandæ urget te ſollicitudo iuuentæ,
Tantus communis commoditatis amor.
Vna igitur pergas opera clarum tibi nomen,
Et uitam populis conciliare ſuam.

De Accio.

Perdidit ex una ſex Accius arbore ficus,
Væ tibi qui carpſti uæ miſerande puer.
Multa tibi duræ minitatur uerbera uirgæ,
Væ natibus, ſi te prenderit ille, tuis.

Ad Nicolum.

Sex propter ficus ſæuo fremit Accius ore,
Dixeris iratum Nicole iure uirum.

Qui ſua ſictum tantummodo gaudia ducit,
Tam gnauaq; frequens ſedulitate colit.

Ad Cœlium Calcagninum

Prælegis ex nudo uix inſpectoq; libello,
Tot tamen autorum condita ſenſa citas,
Cultaq; perpetuo decurrunt uerba lepore,
Qualiter è plenis Attica mella fauis.
Scilicet adſtantes tibi dictant omnia Muſæ,
Afflat & aſpirans numen Apollo ſuum.

Ad Lycum.

Aſpicis hunc Lyce mendicum mancumque breuemque,
Vna cui, ſed & hæc demutilata manus?
Solus in hac pollex, quiq; illi proximus index,
Deſecuit reliquos Martius octo chalybs.
Non contemne uirum nihil eſt crudelius illo,
Complures homines perdidit his digitis.

Ad Tuccam.

Dixiſti mihi te lectum dare Tucca ſuperbum,
Dixiſti uerum Tucca, ſuperbus is eſt.
Cedit enim nulli, dura ſed mole reſiſtit.
Hunc ego non palmam Tucca tenere negem.

Ad Sigenum

Accipio grato tam pulchrum pectore munus,
Ac animi pignus non mihi uile tui.
Iſta noui fœlix erit omen zona ſodalis,
Mutuus ut nunquam diſſoluatur amor.

Hac flui

Hac fluidam quoties mihi quondam ſtrinxero ueſtem,
Sis ubiuis dicam chare Sigene uale.

Ad Eundem,

Quod dederas munus uelut exprobrare uideris,
Et totum ſperas hinc tibi forte librum.
Tu mihi contextam das ſerum uellere zonam,
Ipſe meos aliquot reddo Sigene modos,
Plus utrius donum? non ſex manet integra menſes
Illa, ſed æternum carmine nomen habes.

Ad phœbum.

Enthea quid feruent immiſſo corda furore,
Quid uis quod Vates maxime Phœbe canam
Quanta, pape uideo, rerum mutatio ſurgit,
Quam ſunt in dubio turbida cuncta ſtatu.
Quid quòd præpetibus geſtit Iouis armiger alis,
Confixumq́; ſuo ſubuehit ungue capum?
Fœlix augurium, deuicta robora Galli
Profligans niueis Cæſar ouabit equis.
Quòd uero triplicem uaneſcere cerno coronam
Non ita poſt multos uæ tibi Roma dies.
Dicere caligans prohibet me cætera nubes,
Vos ſperate boni, uosq́; timete mali.

Ad Calliodorum.

Pellicibus furioſa ſuis male Galla precatur,
Dij ſeruent dextram Calliodore tuam.

De Pollione.

Emit

Emit & aptauit flauos ſibi Pollio crines,
Scilicet hoc cupiens Teutonus eſſe modo.
Sed dolus, inſidiæ, fraus, impoſtura, libido,
Perfidia & liuor clamitat eſt Italus.

Ad omnes doctos Italiæ

Quod reprobos mores ueſtratis mordeo gentis,
Non ægro celebres pectore ferte uiri.
Quàm non hos ſimili meruiſtis crimine dentes,
Tam uos Pierio plenus amore colo.
Cum fœdis noſtræ uicijs eſt pugna Thaliæ,
Quæ uos ut doctos ſic putat eſſe bonos.

Ad Diuum Petrum.

Diue tuas ego te per claues ianitor oro,
Sic referant ſacrum ter ſtata feſta diem:
Dic mihi num caluos omnes admiſeris iſtos,
Quos pictos monſtrant templa domusq; Deos?
Quot non Icario uolitant ſub ſydere muſcæ,
Quot nec in Alburni quercubus œſtra ſonant.
An ſuus hos tantum uictus cultusq; ſodales,
Et data Pontifici multa talenta beant?
Sicq; ſalutaris Chriſti doctrina faceſſit,
Nulla magis pietas, nulla iuuat ne fides?

In Hortum Laomedontis.

Siſte proterue puer furtiuas carpere ficus,
Vis ficus, dominum Laomedonta pete.

Ad Baccaram.

Quòd rarus ueniam pranſum conuiua requiris,
Appoſitis poſſum non ſatur eſſe feris.
Quas puta figlinus cum teſta excoxerit ignis,
Ad ſtomachum uictus non facit ille meum.

Ad Alcimum de Eodem.

Ex Agatocleis edit Alcime Baccara uaſis,
Et menſam æruis ornat apriſq; ſuam,
Quos non pluris emit quam quino forte quadrante,
Et tamen extrema marcuit ecce fame.

De Eodem.

Tres una lepores apponit Baccara lance,
Nunquid ſic cœnans Baccara lautus homo eſt?

Ad Nicolaum Leonicenum

Docte ſenex alium quem candida fama Galenum,
Atq; ſimul Coum prædicat Hippocratem.
Si tibi non incommodum erit, nec forte moleſtum.
Mitte Dioſcoriden huc mihi quæſo tuum.
Tum quem Virgilius modo, tum quē Barbarus ante
Ornatis compſit perpolijtq; togis.
Vt uideam tua quas fœlix induſtria gemmas
Addidit, & tantas ditior auxit opes.

Ad Georgium Sturcium.

Quòd proni obſtipa monachi ceruice uagantur,
Quæ ſit uis uerſu diſcere cauſa meo.
His innixa uiris neſcis? eccleſia ſiſtit,
Sub Stygios alias mox ruitura lacus.

Quin

Quin & confeſſæ ſuſcepta piacula plebis,
Fert humeris grauiter preſſus hic ordo ſuis.

In Antilutheros.

Non ita captiuum læti gaudete Lutherum:
Non uetitus calamus, nec religata manus.
Quando ſuos ſcripſit (quos hic habet arma) libellos,
Hoc etiam uinctus tempore Paulus erat.
Ipſe propheta poteſt indigna in uincula trudi,
Committens ſua uult libera uerba Deus,
Quæ totum nihilo minus ille refundet in orbem,
Et nouus hæc iterum gaudia luctus erunt.

Iuppiter ad Mercurium.

Dulcis ades pennaſq; apta & talaria fili,
Et patris auſcultans iuſſa capeſſe tui.
Deſpicis Aemilijs ſurgentem tractibus urbem?
Ad ueterem pingui quæ ſita rura Padum.
Clara ducum ſedes, gratum Ferraria nomen,
Si non armigerum temneret illa meum:
Fidus eò leuibus delabere nuncius alis,
Hæcq; meo medicis nomine uerba refer.
Protractum facilis concedo ciuibus æuum,
Aſt immortales hos ego nolo Deos.

In Ludos Florentinorum,

Sæua bis hæreticum combuſſit Roma Lutherum,
Diſcerpſitq; uncis infera turba ſuis.
Aedit idem læto munus Florentia uulgo.

Dum colit agniferi lucida feſta patris.
Talia de cœlo ſpectans ludibria Chriſtus,
Quam poſt hæc olim gaudia flebis ait.

Ad Bartolum.

Rus abeo, ſi non ægre latura ſit uxor
Huc tua mittatur Bartole mula mihi.

Ad Phœbum de Cœlio Calcagnino ſub ingruens ſolſtitium prælegere ceſſante.

Non ita feſtinis Cancrum pete Phœbe quadrigis,
Attrahe uectores, ut remorentur, equos.
Et ſine cantet adhuc aliquot Philomela diebus,
Quæ mea tam dulci pectora uoce iuuat.
Nil moror inſtanti cuculos ceſſare ſub æſtu,
Hæc mihi continuo dum moduletur auis.

Ad Florentiam.

Quam proba tu fueris Florentia neſcio, uerum
Florentinari turpe malumq; ſonat.
Horret adhoc, ſi quando audit, Germania uerbum.
Quo quod ſignetur, dic mihi quæſo, ſcelus?
Si facis infamis quod dicit fabula, miror
Quod non ſulphureus ſit tua terra lacus.

Ad Seipſum.

Infandos iuuenum fugis execraris amores,
Et quæ ſunt Itali cætera monſtra ſoli.
Hos potius lauda, ſi uis hic uiuere, mores,
Imò uoca ſanctum, qui facit iſta, uirum.

Hære-

Hæretici ne diſcipulus uideare Lutheri,
Et Florentinis exhibeare rogis.

Ad Vxorem.

Si quis Geriflua me non amat hoſtis in urbe
Geſtit in externis quòd peregrinor agris.
Quaſq; mihi fauet ærumnas, duroſq; labores
Concipit infracta me modo mente pati.
Vt ſequar hic uilis captatum uappa catinum,
Et lacer in media plæbe rogator eam.
Vt ue ſubornatis enectum forte uenenis,
Me raptent auidi dilacerentq; canes.
Nec quicquam exultans hæc fingit gaudia liuor,
Candida fœlicem net mihi Parca colum.
Fauſta & læta meo ſuccedunt omnia uoto.
Iucunda in ſano corpore uita mihi eſt.
Quòd ſi te charaq; frui mihi prole liceret,
Nulla foret curæ ſollicitudo meæ.
Hoc ideo, ut doleant inimici, nuncio, tuq;
In tacito gaudens exhilarere ſinu.
Viue uale, & cum Strimoniæ clanxerere uolucres,
Expecta reducem (ſit modo uita) uirum.

Ad Diuum Petrum Romæ

Quam bene quòd ſuperã quondam conſcenderis arcem,
Cum precio nondum conſtitit illa ſuo.
Maſcula quando dedit diuis accedere uirtus,
Inq; pia conſtans relligione fides.

Nunc hæc proſtituunt uænale, heu, ſæcula cœlum,
Et facit inſignes fulua moneta deos.

Diuus Petrus ad Germaniam.

Non opus ut miſſis Romam Germania numis,
Aut peregre feßo me uenerere pede.
Quæ tua iam plures inſania durat in annos
Quam deceat illius fortia corda ſoli.
Non ita præceptor Chriſtus, non ſancta uetuſtas,
Sed Latiæ docuit fœda cupido gulæ.
Quæ ſummum ſibi Pontificem me fecit, ut eſſem
Seruus captandis, hic ego bubo lucris.
Diuinæ potius cuſtodi ſeria legis,
Talibus in nugis non ſita, crede, ſalus.
Quis furor iſte, domi uiuum contemnere uerbum,
Mortuaq́; externis finibus oſſa ſequi?
Milleq́;, dum ſpectas ea, ſannas auriculaſq́;
Te clam ridentis ſuſtinuiſſe chori?

Quomodo Papa Monachis utatur.

Scis cui cucullatos rei adſimilem patres?
Bibulæ uelut ſunt ſpongiæ.
Nam quicquid aurei eſt ubiq; fluminis,
Siticuloſi ad ſe trahunt,
Sed quos ſtatim ſiccis ſubinde faucibus
Romanus exſugit croton.

Ad Pollionem.

Omnes per ſuperos, per trinaq́; numina iuras,

Perq́;

Perq́; incarnati mystica liba dei.
Eßet habenda fides uel nudis Pollio uerbis,
Si coma temporibus uiueret iſta tuis.

In laudem Farrarienſium Medicorū

Quòd raras ingens animas Ferraria mittat,
Obſtupuit dubitans portitor ipſe Charon.
Quæſitus quæ nam ratio Cyllenius, inquit,
Hanc ſedem præſes ſeruat Apollo ſuam.
Is medica multos ibi ſuſcitat arte Galenos,
Qui cymbam uacuent, ſi modo plena, tuam.

Ad Eobanum Heſſum.

Neſcio quæ capiunt Italæ me tedia terræ,
Quando ſodalicij ſum memor Heſſe tui.
Tot puta amicorum triſti quos corde reliqui,
Et modo poſt multos opto uidere dies.
O iucunda tuæ quondam ſolatia menſæ,
O doctæ cœnæ, dulceq́; colloquium.
Innocuiq́; ſales, hilares riſuſq́; ociq́;,
Candida libertas, & pia ſimplicitas,
Fœlix hora redux tibi qua conuiua recumbo,
Et liceat alternos concinuiſſe modos.

Ad Nicolaum Leonicenum Atropos.

Parce caue, & quamis medicans potes uetere curis,
Atq́; tuos ſeptem protrahe ſæcla dies,
Deniq́; ſis magni Phœbi doctiſſima proles,
Hacq́; ſuas repares manibus arte colus.

Iſta tamen, quamuis ſero, tibi fila ſecabo,
Ius nulli fas eſt uincere poſſe meum.
Inuiolabilibus ſuccumbunt omnia fatis,
Inclyta uirtutis gloria ſola manet,
Quam peperit doctis ſpecioſa ſcientia famam
Hanc noſtræ poſſunt non abolere manus.
Illo perpetuus fateor, tu nomine uiues.
Tale decus ſtudij dant monumenta tui.

Ad Dominicanum Monachum.

Ad tua ſanctæ uocas ſemper me prandia frater.
Vis ſemel ut dicam, quod uolo? non ueniam.
Non tamen ut tenui credam te uiuere menſa,
Quis ſit ueſtrarum qui ſcio luxus opum.
Tam bona ne lautus, timeo, mihi fercula ponas,
Forte domi ut cænem non ego deinde meæ.

Ad Georgium Sturcium.

Sæpe mones poſitis ut tractem ſeria nugis,
Auſonio recolens cur peregriner agro.
Dum rapido feruens ita ſydere Iulius ardet,
Qui cauet ut ualeat ſat mihi diſcit homo.
Ergo ſine Aonia ſpacier pauliſper in umbra,
Et referent uires grata uireta meas.
Hæc meus eſt fimus, meus eſt hæc cura fritillus.
Viles, quam numos, perdere malo ſchedas.

Ad Nicolaum Leonicenum.

Nō quòd te laudem, ſed quòd ſim doctus ais te

Ex tota

Ex tota charo mente fauere mihi.
Agnoſco nullas adeo quibus efferar artes,
Infima Caſtalij me fouet aura Iugi.
Et mea nota mihi eſt nimis ignorantia, quare
Affectu loqueris clare uir illa tuo.
Quo patet eximius ſub amico pectore candor,
Quantus & Aonij cultor es ipſe chori.

Ad Marcellum Virgilium, quòd Dioſcoriden interpretatus ſit & annotauerit.

Hoc quis docte tuum ſtudium Marcelle rependet,
Dignaq́; pro tanto dona labore feret?
Si media totus conſurgas aureus urbe,
Dent et opes Medices terq́; quaterq́; ſuas.
Debita non poterit digne tibi gratia ſolui,
Plus es in hoc meritus quam peritura libro.

Ad Georgium Sturcium.

Italicam nolo, ſi poſſem, diſcere linguam,
Nam uereor mores ne trahat illa ſuos.
Barbarico potius ſic duriter eloquar ore,
Teutona dum probitas, ſanctaq́; uita manet.

In obſcœnam picturam.

Vnde quòd infandos facis hic Ityphalle ſolœcos,
Tantus es in media barbarus Italia?
Qui tot ubiq́; frequens in porticibusq́; ſcholiſq́;
Multa bonos audis ſæcula grammaticos.

Ad Catulinum.

Nil moror hunc, imò inuiſum mihi noris amorem,
Cum ſcribis fratrem te Catuline meum.
Iniјcis hac duplicem bis mendax parte pudorem,
Non uir es, & monacho non ego patre nothus.

Ad Georgium Sturcium.

Tu Veneta auſcultas Vrbanum Gnauus in urbe,
Hic ego ſepoſitis ocia duco libris.
Non tantum rapida quòd ſol me lampade torret,
Maior deſidiæ eſt altera cauſſa meæ.
Quæ nos à patrio diſtantia ſeparat orbe,
Quotq́; hæc, ſcis, montes, quantaq́; ſaxa leuat.
Feſſa ſatis mens eſt omni quæ iugiter hora
Hanc tantam pernix itq; reditq; uiam,
Nunc fidam ſociam, nunc charos cogito natos,
Dulcis amicorum nunc mihi turba ſubit.
Vis igitur poſt hac ſtudioſum diſcere Cordum,
Delicijs reducem flagito redde ſuis.

Ad Nicolaum Endinum.

Illuſtri ſate Nicolae ſtirpe
Vera nobilitate clara proles,
Futurumq́; nouem decus ſororum,
Et uictor trepidi rei patronus,
Hic ſi perpetuus flagrabit ardor
Feruentis ſtudij tui & laboris,
Audi quid tuus ille Cordus orat,
Ille inquam tuus ut dato emptus ære.

Meo nomine plurimam ſalutem
Ipſi dicito Sturcio, deinde
Hortator patrios ut ad penates
Maturet, cupidumq; me reducat,
Hoc non amplius orbe commorari
Infandoſq; placet uidere mores.

Ad Nicolaum Leonicenum.

Si non eſt ſenio tuo moleſtum,
Et uectore potes ſedere mulo,
Promiſſam redimas fidem, ſimulque
Quæſitum medicas eamus herbas.
Quas alter Theophraſtus atq; Crateuas
Illo noſcere diceris ſub æuo
Supra rancidulos uolans magiſtros,
Docta iudice perſpicacitate,
Te monſtrante iuuat ſemel doceri,
Quæ dediſcere non ſit hinc neceſſe.

Ad Eundem & Ioannem Manardum.

Quòd ueſtrum uideo celebres certamen amici,
Dum dare pileolum gaudet uterq; mihi?
Nullum ex me ſperare licet, mihi credite, munus,
Nil pauper præter carmina Cordus habet.

In Gallum Gallinaceum.

Peſſime Galle tace, ſic cras tua colla ſecentur,
Et glaber infixo tranſfodiare ueru.

Quid

Quid mea conturbas inuiſo ſomnia cantu,
Nec ſinis hac ſemper poſſe quiete frui?
Non adeo fœlix fuit iſta nocte Micyllus
Qua ſubitas miſero Morpheus auxit opes.
Iam mihi Germano ſum uiuere uiſus in orbe,
Ad dulceſq; domum me rediiſſe lares.
Iam cum dilectis iucunde ludere natis,
Et dare conſorti baſia mille meæ.
Hæc mihi tu ſtrepera fruſtraris gaudia uoce,
Meq; per Immenſum tam cito uertis iter.

Ad Nicolaum Leonicenum.

Accepi clarum titulum, inſignemq; tiaram,
Magnum id, at eſt maius te tribuiſſe, decus.
Quo nihil hæc medica uidet ætas doctius arte.
A tanto laus eſt præmia ferre uiro.
Ergo quas dignas nequeo perſoluere grates,
Tam merito debens ſemper habebo tibi.
Quocunq; in populo quocunq; uel orbe reſidam,
Te præceptorem concelebrabo meum.
Et tua dum uiuo mecum quoq; uiuet imago,
Ac memori data nunc oſcula mente geram.
Aeterna uenerande ſenex hac uiue ſalute,
Extremum, tibi quod colloquor, illud erit.

Ad Venetias.

Vos quoq; poſt longum tandem mihi cernere uotum
Contigit Adriaco condita tecta ſinu.

Quid uideo? tantus non ſat mortalibus orbis,
Quin etiam medijs ædificent in aquis?
At quid in hac homines miror conſidere ſede,
Ad ſe cum diuum traxerit illa chorum?
Nempe relinquentes tot amæna uireta Camœnæ
Grata magis quouis hæc freta fonte colunt.

Ad Nicolaum Endinum.

Quis te clarorum genitum de ſanguine patrum,
Et multa celebrem nobilitate neget?
En ſuſpenſa tuæ ſunt hic inſignia gentis,
Et uehit Endinam candida fama domum.
Plus ſpecioſa tamen decus ars & maſcula uirtus
Quam tantum tribuit ſtemma genuſq; tibi.

Ad Eundem.

Magnus amicorum patrium me cœtus in orbem
Hinc trahit, at ſtudio tu trahis inde tuo.
Quòd niſi chara domus proprio magnete ualeret,
Omnibus his unus fortior ipſe fores.
Tam tua me uirtus uero tibi iunxit amore,
Et mea ceu quodam pectora fune ligat.

Ad Apollinem.

Dum iacet Aethnæo febriens Aegnatius æſtu,
Te Medicum credam præſes Apollo deum?
Cui rear eſſe datam te ſeruatore ſalutem,
Si non auxilium ſenſerit ille tuum?
Qui te præcipuo ſemper ueneratus honore,

Claruit Aonij candida fama chori.

In Chryſopoeiam Aurelij Augurelli.

Candidus Aureli merito celebrabere Vates,
Qui qua ſim Crœſo ditior arte, doces.
Sic ſex ſi dedero numos ipſe indicat Hermes
Quo mihi theſaurus ſit fodiendus agro.

In Eandem ad Lectorem.

Ipſam qua facies aurum ſex aßibus artem
Non emis? eſſe miſer ſemper egenus amas.

Ad Aurelium Augurellum.

Quam recte & bene, commodeq; factum
Hanc quòd docte Poeta Chryſopoeiam
Summo pontifici dicas & offers.
Nunc nunc Romula techna, fraus, tyrannis,
Quæ totius opes ſitiuit orbis
Exhauſitq;, peribit & faceſſet.
Nam, qua, quod cupit, ipſe formet aurum,
Tranſmißam Leo Papa cœpit artem.

Ad Eundem.

Quid dandum captas mißis pro uerſibus aurum
Qui quibus id fiat ſciſq; doceſq; modis?

Ad quendam Venetum.

Triſtia funeſti monſtras ueſtigia belli,
Quo ueſtras Cæſar fudit & hauſit opes.
Sed Veneto rurſum nunc ſubdita cuncta Leoni
Iactas, & ſtupidos nos ais eſſe uiros.

Barba-

Barbaricoq́; quidem deuincere quæq; tumultu,
At partum ingenio poſſe tenere nihil.
Audiat hæc poſitis utinam Germania poclis,
Et ueſtros caueat ſobria facta dolos.

In Alpium anguſtias.

Aſpicis hærentes pronis amphractibus Alpes,
Quam ſint anguſtæ præcipitesq́; uiæ.
Has ut nulla, uide, rota, nullus triuerit axis,
Quas peragrans non ſe uerteret Aſtur eques.
Hac tamen ingentes Romam Germania montes
Transtulit, æqualis uix quibus oſſa patet.
Quod tu non adeo ſtupidus mirare uiator,
Grandius hac Tauro reddidit illa ſcelus.

De quodam Fure.

Conſtitit horrendum furti reus ante tribunal,
Et uinctas tenuit poſt ſua terga manus.
Hunc ubi formoſum iuuenem paupercula uirgo
Cerneret, in ſocium poſcit habere uirum.
Ad quam conuerſus morti modo proximus ille
Argutum naſum preſſaq́; labra uidet,
Moxq; adſiſtentem lictorem hortatur, & inquit
Ad iuſſam propera, uiuere nolo, necem.
Mortuus utilius quia q̃ tabeſco ſuperſtes,
Atq; breue in malo quàm ſine fine crucem.

Ad Georgium Sturcium.

Vt ſolis medicis toto me pectore dedam

Et ſte-

Et ſteriles linquam, dicis amice, Deas.
Vtilis eſt Medicina mihi, dulcis mihi Muſa,
Omnia, miſcuero hæc ſi duo, puncta feram.

Benedictio Menſæ.

Præſtita diuino nobis alimenta fauore
Autoris dextra ſint benedicta Dei.

Graciarum actio.

Debile qui corpus largito pane reficit,
Et uerbo mentem recreet ille ſuo.

Ad Georgium Sturcium.

Quando tribus uix hinc Erfordia milibus abſit,
Multaq; ſublimi luceat igne dies
Quid iuuat hic ſeras ruri expectare tenebras,
Et trahis innexis feruida uota moris?
Nil numerata moror dandæ mihi mactea cœnæ.
Quam patior nequeunt hæc ſatiare famem.

Finis.

EVRICII CORDI EPIGRAMMATVM LIber Quintus.

Ad Georgium Sturcium.

Tanta ne chare putas in me benefacta Georgi
Ingratas unquam poſſe tacere fides?
Non erit ut, totam licet epotauero Lethen,
Officij poſſem non memor eſſe tui.
Pauca rependiſti multo mihi carmina dono,
Non ſemel hinc tenues commiſeratus opes.
Poſtq; tua Auſonias ope perluſtrauimus urbes,
Et datus eſt capiti pileus iſte meo,
Nec ſolum his in me meritis tua gloria creſcit,
Tota fere debet muſica turba tibi.
Taliter adiutus Crotus, Heſſus, Quæſtor, & Hunus,
Et quos non iſtis eſt numerare modis.
Cognita perpetuis hæc munificentia ſeclis,
Si ſua carminibus uita manebit, erit.
Sic potes æterna diuis accedere fama,
Et qua te ſperas poſteritate frui.
Quòd ſi continuo quo iam pede cœperis ibis,
Præſentem prohibet te nihil eſſe deum.
Scilicet Aonidum muſarum maximus Hercles
A doctis Sturci rite colêre uiris.

De morte inimicorum ſuorum.

Quis putet indignos lectu me ſcribere uerſus,
Cum Clario curæ ſit mea cauſſa deo?
Nanq; uenenatis immiſſa peſte ſagittis,
Oſores ultor ſuſtulit ille meos.
Vnus adhuc uiuit Lupus, ut quem pluribus annis
Triſti liuoris uult ſupereſſe cruci.

Epitaphium Veri.

Prima Sophiſtarum ſitus eſt hic gloria Verus
Barbara lugubri quem ſchola corde gemit.
Cui, ſua neglectis ubi fata inſtare cucullis,
Conſpiceret, triſtis uiuere pœna fuit.

De Eodem

Vt miſera uidit pereuntes morte cucullos,
Indignans querulo pectore Verus ait.
Delitiæ ite meæ, ueterum decora ite Sophorum,
Vos ego Tartareum ſub Phlegetonta ſequor.

De Eodem.

Si, quam pro tetrica fuit olim ueſte, fuiſſet
Tam tua pro doctis ſollicitudo uiris.
Grata precaretur requiem cœlumq; iuuentus,
Quæ te nunc diris deuouetq; ſuis.

De Phaleſco.

Liuida tabeſcens ſpuit excrementa Phaleſcus,
Vnde ſit illius, quæris, origo mali.
Sedulus ut docuit Græce aſpirare magiſter,
Pulmonem rupit flatibus ille ſuum.

Ad Pa-

Ad Papam.

Hactenus in templis cecinit tua turba, quòd omnis
Nomine Martini palleat hæreticus.
Hoc ubi, ſi quis eum nunc nominat, accidat illi,
Hæretica ex uerbis proditur ipſa ſuis.

In Priorem quendam.

Qui canis Prior es patribus ſanctiſſime frater,
Quis furor eſt pueros præpoſuiſſe tibi?

Ad Victorem Pileatorem.

Quinq; tuam luſtris hac artem Victor in urbe
Exerces, nec adhuc propria tecta locas
I pete feſtino Romana palatia curſu,
Atq; ſtatim magnas accumulabis opes.
Vnum ubi pileolum iam mille emere talentis,
Funigeri, quibus hic das pia dona, patres,

Ad Delicianum.

Tam nequeunt orti radios & lumina ſolis,
Ferre cucullati Deliciane Patres.
Vt pro uenali dent mille talenta Galero,
Tantas mendicis creſcere miror opes.
Præſertim uetitos ſolitis non tangere numos,
Hos ſuperis curæ quis neget eſſe uiros.

Ad Ioannem Didrichum.

Grande ſcelus, noſtris ſi prætereare Camenis,
Duxero, totius dignus honore libri.
Sic collata in me toties benefacta merentur,

Me quibus aſtrinxſti tempus in omne tibi.
Huc ubi Thuringa me peſtis ab urbe fugauit,
Pinguia qua diues rura Fridislar arat.
Hic tua me pietas tota cum prole recepit,
Et dedit ad multos tecta cibumq; dies.
Ruſtica propterea fictum te muſa Menalcam
Cantat, in hoc uerum carmine nomen habes,
Doctorumq; ſimul ſine fine per ora uirorum,
His modo ſi nugis ſit data uita, uolas.

De quodam Mendico.

Germanicum iactatur hoc prouerbium,
Habentibus panem datur panis uiris.
Quod audiens potator Oenodypſius,
Dum rem ſuam iugi gula decoxerat,
Emptum duobus aſſibus panem tulit.
Et ad ſacram mendicus ædem proſtitit,
Illius expertum fidem prouerbij.
Sed cum diu ſtetiſſet & nemo daret,
Tandem ſubindignans ait, ſapiens homo,
Ne credat inſano nimis uulgo, cauet.

Ad Orthum.

Tale quid Orthe putas mundo portendere monſtrum?
Facta cucullata prole iuuenca fuit.
His ego ſperaui monachos ceſſare diebus,
Aſt illos pariunt nunc quoq; bruta uiros.

Ad Bardum.

Quiſ-

Quoſq; cucullatos incedere cogis alumnos,
Qui ſua dant ueſtræ nomina Barde ſcholæ.
Monſtroſum neſcis factum nunc eſſe cucullum?
Hunc ubi pro uitulo beſtia uacca parit.

De eodem monachouitulo.

Hac aſinos monachos tenus omnis terra ferebat,
Nunc uitulos monachos patria noſtra dedit.

De Eodem.

Magnus erat tuus hic iamdudum Erfordia riſus,
Quòd factus mulier parturijt monachus,
En noua iam ſanctos inæſtat fabula fratres,
Enitens monachum turgida ſorda parit.

Ad Ioannem Langum.

Quàm niger ille diu, feralis imagò, cucullus
Candorem obfuſcat maxime Lange tuum?
Factus ut hic, neſcis? eſt execratio cultus
Propter atrox horum, quos tegit ille, ſcelus.
Vt quoq; iam toto monſtroſus habetur in orbe,
Poſtquam quadrupedem bos peperit monachum.

In ſyluam de laudibus & origine Goſolariæ

Quæ ſita decliui Goſolaria ualle latebas,
Vix è uicinis conſpicienda iugis,
Ardua iam ſublime ferens ſuper aſtra cacumen
Perpetuos toto cerneris orbe dies.
Hoc etenim ſacri munus ſolet eſſe poetæ
Vt nequeat, uitam cui dedit ille, mori.

Ad lectorem.

Me medicum ſimul & uatem miraris eundem?
Vtrunq; amiſtes munus Apollo dedit

Ad Senatum Goſolarienſem.

Quàm ſit ueſtra bonis ſtudijs propenſa uoluntas,
Egregium ſpecimen, claraq́; ſigna patent.
Quando leues tanto grati mihi pondere uerſus
Penditis & largas adnumeratis opes,
Quas ego tam magno referam pro munere grates?
Id ſupra uires me modo poſſe meas.
Me tamen has uobis ſemper debere fatebor,
Dum mihi Caſtalias Muſa miniſtrat aquas.

Ad Lathomum Goſolarienſium

Heu quàm non iuſtam trutinat fortuna bilancem,
Quàm nullo meritas lumine pendit opes.
Centum forte pedes ſurgentem ponere turrim
Iuſſo ſunt totidem pacta talenta tibi,
Inſerui ſummis ego totam nubibus urbem,
Et mihi dimidiæ non data quadra minæ.

Ad Michaelem Liſarium.

Quòd celebrata meo Goſolaria carmine uiuit,
Conijce rectores quid retulere Patres?
L. Centũ pannonios C. ha centũ, L. plusne? C. qd inq̃s?
L. Non tantũ? C. minime, L. dimidiumne? C. tace,
L. forte quadraginta? C. non, L. trigintaue? C. nec illos
L. Dignum ſe tantis quid potuere minus?

C. Tam

C. Tam malus expectem tam grandia præmia uates?
L. Dic age quid? C. Tricæ quod meruere meæ.
Tres lætus cœpi, regale numiſma, Bohemos,
L. Garris? C. non certe, magnane dona ſatis?
L. O in perpetuos huic urbi dedecus annos,
Et nulla æſt in posteritate pudor.
C. Imo mihi oblatum eſt hoc ſummo munus honore,
Nempe per egregios, ceu Iouis arca, uiros
L. At tulit agrippis ingens pro uerſibus aurum
Peſſimus in Clario Chœrilus ille choro.
C. Hoc iſto gratis fuit olim tempore Muſis,
Dum ſuus his noſtris ſordibus eſſet honor.
His modo contemptis nugis prudentior ætas,
Vidit quid fulgens utile nummus habet.
Quæ, præſens ubi res, nil poſthhuma uerba moratur
Candida non cineres nigraue fama mouet.

Ad Martinum Hunum Gittelidanum.

Quas mihi rettulerit diues Goſolaria grates,
Pro miſſo, quæris Gittelidane, libro.
Tres fernæ cœpi Ioachimos, grande ne munus?
Quid plus in uotis debuit eſſe meis?
Dimidio conſtant quater octo didragmate uerſus,
Talia quis pluris carmina ſtultus emat?

Ad Goſolariam

Non ingrata meis Goſolria uerſibus, ad me
Tres mittis lætum reddita dona uiros.

Quid tanta tamen hæc opus eſt ad munera turba,
Quæ queat exiguus centupla ferre puer?

Ad Eandem.

E primore tui choro popelli
Tres numos? mihi tres uiri tulerunt,
O quàm falſus eram poeta quando
Fortes te cecini tenere ciues.

Ad Amænum.

Exutis monachos uidi ſaltare cucullis,
Inter conuiuas nuper Amæne Lupas.
Nudos dixiſſes ſua reddere ſacra Lupercos,
Ni quòd pro februa mentula pelle fuit.

In Furibacchum.

Totam te logicen iactas Phiſicenq; tenere,
Sed peream ſi ſcis quid logice aut phiſice.
Crede mihi non ſunt iſtæ dialectica nugæ
Quas cogis pueros edidiciſſe tuos.
Sed magis occæcans teneram fuligo iuuentam
Ne rectum ſtudij cernere poſſit iter.

De Eodem.

Quid fatuum poſcis peregrinos uulgus apellas?
Sanctus eas partes hic Furibacchus agit.

Ad Attalum Epiſcopum.

Tam pius & ſanctus tam doctus es Attale præſul,
Vt ſimilis fuerit non Petrus ipſe tui.
Imò nec agnifero Baptiſtæ ceſſeris unquam

Tam dura uitæ ſtrenuitate tuæ.
Nullam hic carnem edit, nullo tu uesceris oſſe.
Hic uinum fugit, tu pie præſul aquam.
Hic nulla in pluma, nullo tu ſtramine dormis,
Scrica noluit hic, non tibi lana placet.

Ad Ioannem Draconem.

Romanus poſtquam petijt Leo Tartara paſtor,
Glubendas dubitas quis modo captet oues?
Quis niſi non alijs æque atrox unguibus urſus,
Aut aliquis rapido ſæuior ore Lupus?

De Cotta.

Nullas exequias defunctæ Cotta parenti
Soluit, ob id ſacrum conſtitit ante forum.
Inſtitit uncta manus ueteres hunc temnere ritus,
Hæreticaq; piam mente negare ſtipem.
Ille ſuam dudum uectam ſuper æthera matrem
Reſpondens nihil his dixit egere ſacris
Hic ridens, quæ te cœpit ueſania, iudex,
Hoc mihi quo uerum teſte probabis ait?
Tum Latij ueniale patris breue monſtrat & inquit
Sancta ne nos unquam fallere Roma poteſt?

In Centones Ioannis Fabri
ad Lectorem.

Turgida Leuconicum promittit culcitra, ſed tu
Non eme circenſi ſtramine farta tumet.

De Cochlea.

Se cœca

Se cæca in ſpeculo, qui neſcio, Cochlea uidit,
Eſtq; ſibi ſimili fronte putatus equus.
Hinc ubi ſublato produxit cornua collo,
Se mox æripidem credidit eſſe feram.
Vt conſpecta domus lento quam tergore uectat,
Sum trux qui caſtrum fert elephantus ait.
Et dum magnanimo ſic grandia pectore ſpirat,
Armigeri præceps alitis eſca perit,

In Aulam

Cum ſis fœmina tam puſilla miror
Quod magnum uociteris Aula ſcortum

De quodam Epiſcopo
in Noricis Comitijs

Teutonico quotquot proſtatis Laides orbe,
Et nullum facitis, mudula turba, lucrum
Querite Noriciam feſtinis curſibus urbem,
Donec adhuc celebris regibus ille locus.
Pauper ubi in Chriſto numerat duo milia preſul
Vnius tantum præmia concubitus.

In Eundem Epiſcopum.

Heu quot diebus & quibus laboribus,
A quotq; ciuibus atq; ruſticis tibi.
Corraſus eſt theſaurus iſte, quem male,
Et nequiter libidinoſe pontifex
Adeo breui turpiq; mixta gaudio
Profundis, ille num piæ uſus eſt ſtipis?

De Si-

De Simio Ludente.

Præbuit intento nuper ſpectacula uulgo,
Punctato ludens Simius alucolo.
Quem mediaſtinus quidam dum cerneret inquit,
Tam ultus hominis beſtia nulla refert.
Cui prope conſiſtens reſpondit morio. nunquid
Vidiſti nudum perfide tu monachum?

De quodam Sponſo.

Ditem pauper anum iuuenis ſibi duxit, & ipſam
In ſocij ut cœpit mutua iura thori.
Omnes in Geniale uiros conclaue uocauit,
Eſtq; graui exorſus taliter ore loqui.
Vos chari affines, uos quotquot adeſtis amici,
Appello teſtes hac ego nocte meos.
Quòd mendax fuerit coniunx ſi obiecerit olim
Hanc nudis natibus me ſubijſſe domum.
Ac ſimul has picta redimitas ſyndone partes,
Reiectis pronus ueſtibus exhibuit.

Ad Tranquillum Dalmatam.

Iam quater à uetulo ſurgens Aurora marito,
Aurea ſublatis aſtra fugauit equis.
Hac noſtra poſtq̃ ceſſas nouus hoſpes in urbe,
Et tibi me ſanctus ſcribere iuſſit amor.
Et uolui, ſed te ueritæ timuere Camenæ,
Seq; per hos tacite proripuere dies.
Quantus hic eſt, neſcis, dixerunt Corde Poeta,

Quis uelit hunc, etiam doctus, adire uirum?
Quem tota Italidum comitatur turba ſororum,
Cultior & melior uoce lyraq; chorus.
Quem, ſi tam nullo nos uiderit ire nitore,
Poße putas riſum continuiſſe ſuum?
Hæc & plura diu cauſatas ire coegi
Quæq; colis celeri quærere tecta pede,
Et, ſi te uacua poſt prandia mente uiderent,
Iſta tibi fari nomine uerba meo.
Si potes indocto conuiua aſiſtere Cordo,
Vulgareſq; boni conſuluiße cibos,
Hoc ad ſe uenias cœnatum ueſpere poſcit.
Nil uidet Aoniis gratius ille uiris.

In Furibacchum.

Peßime nobilium deperditor ingeniorum,
Tam celebris labes hic Furibacche ſcholæ.
Quo tuus uſq; furor rectas bacchatur in artes,
Quoq; doces iſtas barbarus uſq; ſtrophas?
Has redimet ſemper nugas tibi tradita pubes,
Et fœti partum credet inepta Iouis?
Hoc tu pro moſcho diuendere pergis olетum?
Pro tali quæ ſint ſtigmata fraude ſatis?

De Sophiſtis.

Rauca ſophiſtarum retiœnt collegia, quando
Doctrinam Chriſtus dat rutilare ſuam.
Namq; coaxantes nocturno tempore ranæ,

Dum matutinus ſurgit apollo ſilent.

In Quendam Furem.

Inimicus eſſe litteris uidere hoſtis,
Tantum trium te literarum hominem dixi
Et infremis, ſed his meus fauet Ruffus,
Omnes cui dum litteras tribuo, ridet.

De Iucho.

Quando Thelesphoriana ſuæ ieiunia plæbi
Seruanda euheberet paſtor Iuchus ait.
Hæc autor quondam inſtituit ſolennia Chriſtus.
Exemploq; tenens ſancijt ipſe ſuo.
Et nulla his totis eſt uſus carne diebus,
Ni ſemel, Id fratrum ſuaſit auara fames.
Quorum eheu nimio eſt tunc ille coactus amore,
Paſchales citius quam decet eſſe dapes,
Non tamen hoc impune nephas, quia captus eadem
Nocte trucem ſubijt luce ſequente necem.
Sic omnes quoq; diſcipuli pro talibus auſis
Vltori pœnas inde dedere deo.
Quid rides tantum ſumma quem laude magiſtrum
Ameluthcranus prædicat ordo ſuum?

In imaginem Diui Georgij

Aſpicis aurati fortiſſima bella Georgi,
Artificem fabre picta referre manum.
Hæc uetus à multis raſorum eſt fabula ſæclis,
At ſeram tandem nunc habet illa fidem,

Quò

Quod ſe traiectæ monſtrum circumplicat haſtæ,
Romulus eſt, glutit qui modo cuncta, pater.
Id cataphrattus eques fodiens necat ipſe Lutherus,
Talia qui ſupera prœlia tentat ope.
Quæ iuxta pauitat, Chriſti eſt Eccleſia, uirgo
Illius in rictum penè uorata feri.
Omnis io Pæan & io iam turba triumphe
Clamet, hic inuicto concidit enſe draco.

Erinaceus ad Cordum.

Neſcio cui cogor reiectus cedere monſtro,
Quo tua nunc mittens carmina Corde notas.
Nulli dedecori tibi eram licet hiſpida pellis
Horreat, & teneras pungat acuta manus.
Tale ſagax nobis tegmen natura creauit,
Nullius ut poſſent ora nocere canis.
Qui ſi me patulo ferus inſectatur hiatu,
In tutum ſubito colligor ipſe globum.
Nil ſæuos oberit mihi tunc audire latratus,
Artubus eſt clypeus ſpinea ſeta meis.
Quod ſi me nimij lacerant ſine fine furores,
Sit mihi phas tenſa mittere ſpicla cute.
Quod quoq; uiſceribus me rere fouere uenænum,
Non niſi ſupremo fundere crede metu.
Sed nullis bene nolo feris, nullum infero damnum,
Innocuam præbent ſcrobſq; rubuſq; domum,
Huc ego perpetuo rurſum me tempore condam,

Quali=

Quando placet ſignis ſimius illetuis.
Cynocephalus ad poſteros Cordi.

Quicunq; Cordi filius me uel nepos
Vel ſerior futurus hæres aſpicis,
Meis memor uelis moneri ſymbolis.
Quæ te bonas iubent amare litteras,
Autore dependere iugiter à deo,
In omnibus bene prouidum rebus fore,
Fugacis obſeruare lapſum temporis,
Habere communes tuas aures, feram
Compeſcere iracundiam & loquax labrum,
Tegere pudenda, ſtare promiſsis tuis
Terrena conculcare, quatenus licet
Famelicæ mortalitati obſiſtere.

Ad Pacidianum.

Quis me nobilitarit & hæc inſignia Cæſar
Sanxerit, irridens Pacidiane rogas.
Falleris, ut nequeo ſic nobilis eſse recuſo
Illo, quo credis te tamen eſse, modo.
Nullo collatore uenit, uirtute parente
Naſcitur illuſtris ueraq; nobilitas,
Et perimente cadit uicio, nunc aſpice quot ſint
Et qui, quos claros efficit illa, uiri.

Ad Aulicum Quendam.

Ad quaſcunq; tuus præſul proficiſcitur urbes
In niueo meretrix concomitatur equo.

Hunc

Hunc illi tribui non indigneris honorem,
Debet eo uictrix Penteſilea coli.
Imò triumphali fuerit digniſsima curru,
Nam tantum ſubigit fortior illa patrem.

Ad Eundem.

Non magis inde tui uires mihi præſulis efferr,
Quem ſcortum ſubigit Penteſilea ſuum.

De Stoſſo.

Non uero potarum, quoties hunc retraho, Stoſsum
In magnum timeo, ne cadat ille, ſcyphum.

In quendam Medicum Adulatorem.

Paræ obſecro quòd te meis in litteris
Hypocritam uocauerim, quia neſcio
Quo nam modo mihi uolenti dicere
Hippocratem, hoc ſubincidit uocabulum.
Hunc melius errorem noui mores tui,
Quam quiſq; culter aut ſtylus, correxerint.

Ad Portium.

Ter tibi promiſi uolui quoq; ſcribere Porci,
Ter fruſtra cœptum penna reliquit opus.
Scilicet egreſſæ nuper mea limina Muſæ
Quam dederant ſecū ſurripuere lyram.
Et medicam donans mihi pro fide pyxida Phœbus
Altera nunc, ait, hæc munera ſume tibi.
Si crudus ſtomachus, ſi languet debile corpus,
Præſentem poſcas, non tibi carmen, opem.

Quam ſi ferre tibi nequeo, promittre poſſum
Hoc medicum facile eſt quemlibet eſſe modo,

De Ida.

Tam ſtudet augendis tam ſordida & inuida rebus,
Auferri pulices ut gemet Ida ſuos.

In beneficia exprobrantem.

Quod mihi tres dederis frumenti forte quadrantes
Et ſiluæ faſces ſexue nouemue tuæ.
Vis Mæcenatem uis Auguſtumq; uocem te,
Ac ſeruatorem præſidiumq; meum.
Iſta meus dudum ſibi nomina Scurtius ille
Vendicat, in ſeros dignos habere dies.
Qui triſtes ſtudij perculſus amore Camœnas,
Adiuuat, & larga dat ſua dona manu.
Grande dat argentum doctis & grande dat aurum,
Atq; ſuo meritos auget honore uiros.
Hunc ego dum uegeto calet iſtud ſagnuine pectus,
Ardua, quæ meruit, gratus ad aſtra uehi.

De Materno.

Quiſquis conceptum Mariæ celebrauerit Abbas,
Perpes in officio permanet ille ſuo.
Quid ſubſannantes me deridetis amici?
Forte quod hæc, leuis ut fabula, uerba ſonent?
Sic docuit plena nuper Maternus in æde,
Creditis hunc tantum dicere uana uirum.

De Manno & Hectore.

Quinquaginta uni iuncti duo Mannus & Hector,
Aequiualent, triplici nec tamen ære merent.

In fores Georgij Sturtij

Georgium quicunq; Sturcium uoles
Hic pendulum trabe ſobrius funem, ſed heus,
Has candidas Libethridum noris fores,
Apage nigrum, quiſquis uenis, hinc hoſpitem.

Aliud.

Candida muſarum, qui pulſas, limina noris,
Si niger aduenias hinc procul hoſpes abi.

In Paulum

Hæreticum populo traducis Paule Lutherum
Et comburendos illius eſſe libros.
Quos tamen haud unq̃ te conſpexiſſe fateris,
Talia cordati ſunt tua uerba uiri?
Quam te tota, uide, ſic fatum concio ridet,
Plus ne prophana ſacro præſule turba ſapit?

In Quendam Crocauienſem Poetam.

Quòd tenues Phœbi citharæ anteferebat auenas,
Non ita ueſanum Tmole ſtupeſce Mydam.
Peius iudicium iam Barbara Croca ferebat,
Atq; adeò quidam, quem tenet illa, Babys
Ipſos Germanis auſus præferre Polonos,
Auriculas ſtupidum miror habere ſuas,

In Opus Ioannis Fabri.

En quo pellicæus tollit ſe cento tumore.

Arboreo

Arboreo fartum uellere ſorte, putas.
Erras, fabrili turgens diſtenditur aura,
Qui facili punctus mox reſidebit acu.

De Sacerdote militem ſalutante.

Pax tibi ſacrificus dixit fera caſtra ſequenti
Ille ſubindignans ceu maledicta tulit.
Moxq́; ait, & pereat tibi purgatorius ignis,
Qui te, non ſecus ac me mea bella, ſouet.

Ad Fabullum.

Si, quæ litum quondam tulit ſacerdotem
Beata, quod uulgo loquuntur, eſt aluus,
Ter millies tua eſt beata Priſcilla.
Et adhuc nouas Fabulle nuptias quæris?

De Locis communibus Philippi Melanchthonis.

Communes ſapidi locos Philippi
Aeterno madidos cedri liquore
Summa quam potes eleganter arte
Mox compinge poliq́; leuigaq́;,
Et picta tege pelle, ſericiſq́;
Auratum mihi ligulis adorna.
Monſtranti inſuper affabre Mineruæ,
Albis ſtipa oneraq́; margaritis.
Nam quales liber hic opes recondit,
Tali debet & eminere cultu.

De Lycoride.

Se confeſſa nothum dixit peperiſſe Lycoris,
Quem natum coniunx crederet eſſe ſuum.
Hac graue lege ſcelus glaber auffert frater, ut illud
Errant i dicat quo nodocunq; uiro.
Vt non iniuſtus fuerit quondam ille cohæres
Diuiſæ contra phaſq; piumq; rei.
Illa reuerſa domum plorantem forte puellum
Repperit, hinc ſubitos eſt mediata dolos.
Innuit aſtanti laruam ſimulare marito.
Pellicium uertit protinus ille ſuum.
Ac malus, inquit, ubi eſt, hic qui modo uagijt, infans,
Vt mea pertractum, ſeuus in antra uorem?
Tum gremio illa ſuo pauitantem abſcondit & inquit.
Hinc apage non eſt filius ille tuus.

De Memnone Milite.

Aſpicis horrendum diſtorto Memnona uultu,
Tranſuerſo & gladio terribiliq; ſono,
Et ſua iactantem ſtupido magnalia uulgo,
Quàm ualeat forti corde, potente manu.
Fanti crede uiro, ueriſſima ſingula narrat.
Terrentem, ſolus, non timet ille uiros.

De Eodem.

Sic cinctus gladio uincet cacodæmona Memnon
Si uerum eſt uiſam quod fugit ille crucem.

Ad Fabium.

En enixa duos habet Heliodora puellos

Pulchra Lini coniunx ſed tua nata Fabi.
At nec factus auus, quemquam nec habere nepotem
Diceris, hoc uerum qua ratione putem?

Ad Schalbum.

Quare papicolæ caluo ſint uertice myſtæ
Aonijs dicam uis tibi Schalbe modis?
Vidit cœligenam Sathanas afflamine Chriſtum
Verbum diſcipulis indere forte ſuis.
Quo poſt magnanimos illi uicere tyrannos,
Totq; retraxerunt è Phlegethonte uiros.
Indoluit, lectoſq; ſuos dimiſit alumnos,
Qui ſererent falſos in pia corda dolos.
Hos quoq; dum diro pronos afflaret hiatu,
Excußit ſummos halitus ille pilos.
Tale dehinc hæres teſtans ſucceßio factum
Illa glabret adhuc impia parte cohors.

In Quendam non ſyncærum.

Ecce tibi ſparſi ueniunt per tempora cani,
Incipis in ſenio candidus eſſe tuo.

Ad Oecolampadium.

Conſpicuo doctus uerbi ſplendore coruſcas
In ſacra domini uiua lucerna domo.
Ex hac uel ſola, ſi nullo ſtemmate, cauſa
Cognomen poſſis dignus habere tuum.

In Imaginem Diuæ Apolloniæ.

Si ualidos ſeruas ſolidaſq;, ut credere, dentes

In manibus forceps quid facit iſte tuis?
Si non fers aliquam, quin hoc utare, ſalutem,
Tunc eadem quiuis numina tonſor habet.

Ad Fœlicem.

Vt diuæ promiſſa tuæ, uis, munera ponam,
Non uolo, cur? dentes perdere nolo meos.

De Iucho.

Dum concionaretur ad populum Iuchus
Incredulos redarguens Lutheranos,
Quod non ſuorum conſtituta maiorum
Ieiunia antiquo tenore ſeruarent,
Quo nam ad futurum paſcha gaudio, dixit,
Fruemini, quam habebitis uoluptatem
Iam quoq;, carne, bis die ſaturi uentres?
Nos qui, probata turba, Romulo patri
Solis fabis, & piſcibus, meriſq; herbis
Nunc ueſcimur, ſacram colemus hanc lucem
Læti fideles, & nouis cibis, nempè
Solennibus pernis litiſq; ſcriblitis,
Aliiſq; feſtiuæ cupediis menſæ,
Auidi incitatam explebimus ſtomachi orexim
Huic immolatus Paſcha nunquid eſt Chriſtus?

De Lyce.

Tecta Lyce tenui redimit ſua tempora peplo,
Et pluſquam medio uerticæ nuda coma eſt.
Eſſe quid hoc aliud credam, quàm fœmina quod ſit

Inferi-

Inferius,ſupera uirgoq; parte Lyce.

Ad Labronem.

An quis tuam futuat protervus uxorem
Ignoro, non eam oſculatur eſt certum,
Tam longus incuruuſq; naſus eſt illi,
Et tam tibi porrecta labra proturgent,
Vt præter unum te Labro,queat id nemo.

De Ruſtica Puella.

Ruſtica conſcendit noctu fœnile puella,
Hanc ſequitur poſcens dulcia furta puer.
Ad quem correpto fœni,conuerſa maniplo
Te miſere feriam me niſi linquis ait.

Diua Apollonia ad Populum.

Computruere mali cunctis ceciderèq; dentes,
Quotquot adhuc uotis me coluere ſuis.
Hoc igitur mihi quæ finxit ueſania numen,
His ut me medicam ferre putetis opem?

De Eadem ad Fœlicem.

Incepere tui quondam putreſcere dentes,
Dentiferæ factus cultor es inde Deæ
Nunc exarmato cum ſis edentulus ore.
Quæ fuerint diuæ numina ſare tuæ?
Annua iam poteris feſtæ ſolennia lucis
Temnere,nec certas adnumerare preces.
Nec ſtata marceſcens opus ut ieiunia ſerues,
Nam nihil amplius,hæc quod tueatur, habes.

In Clementem.

Qui te Clementem quondam baptiſta uocauit
Indidit Euxinis is quoq; nomen aquis.
Et ſimili immutes Parcas ratione ſorores
Dixit, & Eumenides ſub phlegethonte deas.
Sic quoq; de claro tenebroſum lumine lucum.
Nil quia te dignum uox ea falſa ſonat.
Quod tamen exiguo faciet correcta labore,
Coniungant primas ſi duo puncta notas.

Ad Typographum pro Eobano Heſſo.

Excudenda mei uis ut monumenta ſodalis
Commendam paucis concelebremq; modis.
Non opus eſt, autor titulo ſi proditur Heſſus.
Omnis in hoc uatum nomine fama nitet.

In Auitum.

Romani quoties meminit plæbecula patris
Iactas cum tanto te cubuiſſe uiro.
Id uelut ingreſſus ſanctorum ſancta ſacerdos
Tum fueris, laudi ducis Auite tibi.
Qui tamen hoc magis es pollutus nomine quam quæ
Surgit ab immundo ſordida ſcropha luto.

De Caballo.

Forte triœnta uolens dixit tringenta Caballus,
Et ſe rhetorico credidit ore loqui.
Cuius ut à docto monitus uitij eſſet amico
Hoc quis cenſorum eſt tempore finis ait.

Ipſe quibus neſcit Romane dicere Chriſtus,
Quis pudor eſt errans ſi reprehendar homo?

De Eodem.

Ditior hac uiuit quam Fuccharus urbe Caballus.
Plures quam poterit dicere condit opes.

In pictam Gloriam.

Quæ dea? Virtutis ſum filia Gloria, qui grex
Ille? petitores, improba turba, proci.
Cui nuptura faueſ? omnes faſtidio, quare?
Clam quia matre uiro nubere nolo mea.
Quem dabit hæc dignum complectar grata maritum
Perpetua (fugiat me licet ille) fide.

Ad Saburram,

Cum bibulus tota potaſſet nocte ſacerdos
Dormijt in medio mane Saburra ſacro,
Dumq; moneretur calicem mox prendit & inquit,
Hunc tibi, quantus amor præbibo Læda ſcyphum.

De quodam Franciſcano.

Funiger ille pater qui tanto iactat hiatu,
Seruatæ ſuperas uirginitatis opes.
Fœdo deprenſus tauri riualis in actu
Vix celeri euaſit turpia buſta fuga,
Ad Franciſcani confugit aſyla cuculli,
Sub quo nunc magnus relligione uir eſt.
Cernere non una eſt homines ratione uocari,
Et ſua ſpirantem munera ferre deum.

De Labrace Epiſcopo.

Quòd tribus oppletam Labrax bibit hauſtibus urnam
Electus magna præſul in urbe ſedet.
Hæc una eſt uirtus qua tanto dignus honore
Præ tot reiectis ducitur ille uiris.
Nam Paulina diu ceſſauit regula, cui qui
Congruit, hæreticum mox ſibi nomen habet.

Ad Quendam ciuem.

Quærendas ad opes ſecors eſt filius, at ſi
Vis dicam mores mutet ut ille ſuos.
Qua ratione rogas, ſacrum mittatur ad unguem,
Et nullæ cupido diuitiæ ſat erunt.

De Frontone.

Obtulit Aonio mecum contendere uerſu,
Apparens totam Fronto uoraſſe Claron.
Aßenſi, & data mox afflato charta Poetæ.
Materia eſt, doctos non amat aula uiros.
Non mora perfectum eſt facili mihi diſtichon orſu.
Dum meditans ungues excdit ille ſuos.
Hinc madidum rapiens calamum ueniente furore,
Quantam habeant primam, doctus & aula rogat.

In Pertinacem.

Paucos ante dies tuos uidebam
Iam iactæ ſimiles niui capillos
Indum qui modo nigricante lignum
Ideasq; pices colore uincunt.

Vt qui nauta prius Charon fuiſti
Atris ipſe comis putris Orcus,
Omnem confuge Pertinax ad artem
Canos non ſenium potes morari.

De Vrſulo Piſtore.

Magnas & multas piſtor locat Vrſulus ædes,
Qua, cum nullus ei det bona cenſus, opes
Paruos & paucos uicinis reddere panes,
Quanta etiam fuerit miſſa farina, ſolet.

De Aulo.

Victorem quidam laudauit forte Lutherum,
Audijt hoc & atrox taliter Aulus ait.
Producta hæreticus ſcriptura certat & inſtat.
Hac nos maiores conditione ſumus.
Non habet ille alios præter ſua biblia teſtes,
Sex nos librorum milia proferimus.

Ad Glaucum.

Romanum emiſti breue multis Glauce ſelibris,
Tu tamen id paruo ſtultus habere putas.
Si ſexcenta forent appenſi pondo ſigilli,
Ipſe datum precium reddere forte uelim

Ad Decium & Clericum de Cane Sacerdote.

Annua ſolenni dum baptiſteria ritu
Ebrius in plena poneret æde Canis,
Et ſolito uellet de more inflare, pepedit,
Inq; ſacras uomuit prandia pronus aquas.

Dic mi=

Dic mihi chare Deci, dic optime Clerice nunquid
Talis ſe dignum beſtia nomen habet?

Ad Lectorem.

Quod numerem digeſta libris Epigrammata rides,
Et nugas tanti non ais eſſe meas.
Vendentes numerant pyra poma nucesq; propolæ.
Vilia plus illis carmina noſtra putas?

De Batracho Franciſcano.

Nuper ad Eliſios migrauit Batrachus hortos,
Quem uiuum fratres occuluere ſui.
Hunc pater ut uidit ſtupuit Franciſcus, & inquit,
Extat adhuc ſectæ funiger ordo meæ?
Tam plænus noſtri eſt, reſpondit Batrachus, orbis,
Vt plures habeat nullus Hymettus apes.
Cur igitur poſt multa unum te ſæcula cerno?
Inſignis quino ſtigmate diuus ait.
Tunc ille, hoc inter tot amicta examina cultu,
Solus ego in Chriſtum credula corda tuli.
Cætera Romanum ueneratur turba Bahalem,
Illud ubi renui, me necuere, ſcelus.

Ad Franciſcum Fabrum.

Lecta tua eſt nobis diuine Bohemia uates,
Et quod ad Aurbacchum concomitatur opus,
Hei quantum è ſacris traxiſti fontibus hauſtum,
Quam plenum dexter pectus Apollo dedit.
O ſtupidos homines, ô barbara tempora, quæ non,

Talibus

Talibus ingenijs muneribuſq; fauent.
Fauſta ſub Auguſto ſi te Lucina dediſſet,
Proximus à primo crede poeta fores.

De quodam Tubicine.

Ad clauſam ſera tubicen ſub nocte tabernam
Venit, & in ſolo tecta rogauit agro.
Quem repulit plenos cauſata marita grabatos,
Quid faceret? longum nix noua ſparſit iter.
Proxima piſtrini domus adſtitit, hac quoq; luce
Extracto tepidus pane ibi furnus erat.
Huc miſer exerto tacitum ſe condidit ore,
Et pernox ægre pertulit hoſpitium.
Huc pactam monachus perduxit forte puellam,
Dulceq;, depoſitis ueſtibus, egit opus.
Tum uigil obſcuro mox hoſpes cœpit ab antro
Inflata ad numeros increpitare tuba.
Territus affugit pater, & ſua pallia liquit.
Hinc factam tubicen nunc gerit ille togam.

De patria ſua.

Francobergiaca Marpurgum forſan ab urbe,
Iam medium faciens ſiſte uiator iter.
Sparſaq; ſub dextro magalia reſpice monte,
Quæ gelidis paruus Beſtaua lambit aquis.
Appellat ueteris Simeſuſas nomine pagi
Proxima qui circum rura colonus arat.
Hic humiles, fateor, ſed inanes labe parentes,

In ſenio

In ſenio Cordum me genuere ſuo.
Hic quadrupes repſi puer, hæc per prata cucurri,
Et teneros ægi per duo luſtra dies.
Non procul uberibus fons ultra profluit undis,
Ad quem poſt Clariæ me rapuere Deæ,
Et ſua ſublimem faciles in ſacra tulerunt.
Vnde nouus leuibus ludo poeta modis.
Eſt quo iam celebris toti patet Heſſia mundo,
Sat mihi ſi patriam nouerit illa meam,

FINIS.

EVRICII CORDI EPIGRAMMATVM LIBER Sextus.

Ad Georgium Sturcium,
Chare uale Sturci, dulceſq; ualete ſodales,
Totaq; gericolæ muſica turba ſcholæ.
Hinc ego Saxonicam migrans proficiſcor ad urbem,
Quam rigat Hercinijs perfluus Occar aquis.
Inclyta magnanimis Ducibus quæ nomina præbet,
Qui fera nunc iſto bella ſub axe gerunt.
Det melius fautrix mihi ibi Rhamnuſia fatum,
Quàm ſimili claris hactenus arte uiris,

Falſaq;

Falſaq; dicatis uani præſagia uates.
Imò meo tandem diues honore colar.

In Statuam Diui Chriſtophori.

Quem fers alte Gygas? torquentem ſydera Chriſtum,
Quo nam? qua dignos ſe uidet ille uiros.
Hac ergo quid ab urbe fugis? mala turba coegit.
Quæ? ſub hypocriticis ueſtibus uncta cohors.
Hos ego præcipua ſanctos pietate putaui.
Non magis eſt expers relligione genus,
Nonne colunt pleno quem iactant ſemper in ore?
Non, ſed regnantem Romula in urbe Bahal.
Cur? quia tranquillæ pigra confert ocia uitæ.
Quæ dabit æternus, ſunt potiora Deus.
Plus rata uenturis illi præſentia curant:
Hanc habet in ſuperos iſta ne ſecta fidem?
Non aliam. tamen hæreticum damnare Lutherum
Non dubitant? pius hoc nunc homo nomen habet.
Vera putas igitur quod ſit doctrina? profecto,
Ipſa dei magnus uerba propheta docet.
Cui dociles adhibe, tibi conſulo, credulus aures.
Hoſq; Epicuræo de grege linque ſues.

De Quodam Saxone.

In concione quidam ut audijt Saxo,
Futura quondam uerba iudicis Chriſti,
Ego eſuriui & uos cibum negauiſtis,
Sitij & nihil dediſtis ut biberem, dixit,

Venit

Veni ad meas ædes, & unico uerbo
Te prode, ſat tibi ſuperq; depromam,
Anniculum petaſonem, & integrum uentrem,
Damq; ſuffitas adhæc bouis carnes,
Et optimo te liberaliter Zytho,
Donec uomas inebriatus, opplebo.
Qui honeſtius, qui te ſuauius tractem?

In Aßem Budei.

Quod liceat multis unus centuſſibus Aßis
Non ideo frontem ſic caperato tuam.
Tam ualet ut, ſi mille etiam ſeſtercia ſoluas,
Non habeat precium carior ille ſuum.

De Amicrate.

Vnicus Amicrati uacuo dens hæſit in ore,
Molli luxatus qui modo pulte cadit.
At conſtringentem gingiuas ille farinam,
Vendit, & hac magnas merce coegit opes.
Sic non falſa patet docti ſententia Plini,
Mendaces medicos plus rude uulgus amat.

In Claues Papæ.

Ecce duas claues Romani inſignia Patris.
Vis cuius nam ſint ſymbola ſcire rei?
Hæc aperit Stygium claudit cœli altera limen,
His illuſe diu Teutone quando ſapis?

Ad Blandicianum.

Quando uidebaris, quem docto prouehis ore

Dictami

Dictanti Chriſtum credere mente deum.
Noſtra ter adſcriptum dixit tibi littera Salue,
Et mihi dilecti tunc uiæ patris eras.
Nunc ubi Romanis blandirus hypocrita laruis,
Accipe perpetuum Blandiciane Vale.

In Spongiam Eraſmi,

Qualis Eraſme tua eſt hæc Spongia, qua modo cum te
Abſtergis, non ut, candidus, ante nites?
Imò per abſterſos liuorem contrahis artus,
Vt minor indecori gratia deinde tibi.
Aſperſa ſatius fuerit, puto, labe notari,
Quàm tali te ſic emaculaſse modo.

In Eandem,

Appellata meo domino ſum Spongia, uerum
Lectori populo tetrica ſpina uocor.
Vt cuius dura confoſſus cuſpide nuper
Concidit Hutteno ſtemmate clarus eques

In Hectorem qui nobilitatem emit.

Raptor es & potor, ſuperum contemptor & æqui,
Vſuráq; tuas congeris Hector opes.
Scortaris, dirum maledicis, & omnia iuras
Per ſacra, præfractus terribiliſq; tumes,
Gallica præterea te uexat pſora, quid ergo eſt
Quòd non nobilibus connumerere uiris?

Ad Simplicianum.

Cæca quòd urinas diſcernat fœmina, credis

Te prorſus ſtupidum Simpliciane puto.

De quadam puella confitente.

Funigero peccata fatens uirguncula fratri
Cum trepido cœpit pauca timore loqui.
At mox in medijs reticens ſermonibus hæſit,
Quam ſic exhortans ſanctulus ille monet.
Dic, age, ne pudeat, quicquid mea filia noſti,
Omne licet tuto nunc aperire ſcelus.
Tunc ait, heſterno ueſtrum ſub ueſpere patrem,
Cum domina uidi concubuiſſe mea.
Hic tetrico indignans Veh dixit hypocrita uultu,
Talia de caſta uirgine uerba tace.
Diuus ab excelſo fuit hic Franciſcus Olympo,
Cuius ſub noſtris eſt ſoror illa togis.
Is ſolet (interna quoties nos mente precamur)
Conſolans ſeruis numen adeſſe ſuis.
Quiſquis erat, tum uirgo, ſuum femorale reliquit,
Hac num phas diuos credere ueſte tegi?
Eſt, ait ille, caue digitis ne forte prophanis
Id temeres, ſanctæ ſunt quia relliquiæ.
Quas in noſtra pio cras templa feremus honore
Has ſterilis, dum uult gignere, turba colit.

De ſacro quodam Iudice.

Sacrum citati ad iudicem ſacerdotes
Certam dabant pro ſcortulis ſuis mulctam,
Quos inter ut quidam ſenex diu nullam

Se con-

Se concubinam habuiſſe diceret, indignans
Iudex ait, ſi non habes, tibi procura,
Non eſt ſuis fraudandus aureis præſul.

In Diatriben Eraſmi. *Humana uoluntas loquitur.*

Quid me magne manu necquicquam mittis Eraſme*?*
Sum domini, neſcis? non tua ſerua dei.
Qui, ſcio, perpetuam quod me ſibi uendicet, & tu
Cõuictus Plagij *percutiare reus.*

Ad Ciues.

Squamigerum pauit Babilonia *turba draconem,*
Et ſibi præſentem credidit eſſe deum.
Cui poſt dirupto lætalis pulte moreti
Interpres regis fata propheta tulit.
Romana tamen is tandem rediuiuus in urbe
Exhauſit cunctas totius orbis opes.
Sed quem fulmineo nunc uindex enſe Lutherus
Sub Stygias iterum præcipitauit aquas.
Hac grauiter preſſam qui terram peſte repurgat,
Infami dignũ dicitis eſſe rogo?
Quæ uos impietas, quæ uos inſania cogit,
Tam bene promerito tam male uelle uiro?

De quodam Franciſcano.

Exuit accitas contemplaturq; puellas,
Hic quidam cingens ilia fune pater.
Non nouus ut ſtudeat Iunonem pingere Zeuſis,

Gentilem ſanctus non colit ille deam.
Contemplatiuæ, quam fert ſe ducere, uitæ
Magnus, ut hoc faciat, ſuſpicor urget amor.

In exequiales Miſſarios.

En iterum indutus lugubri ueſte ſacerdos
Octobres celebrat manibus exequias.
Aeternam requiem reſonant ſacra templa, micantq;
Ceratæ circum nigra feretra faces.
Fert pia lucentes uarium plebs munus ad aras,
Et quas quiſq; poteſt dat miſeratus opes.
Argentum, panes, uinum, farcimina, pernas,
Quæ mox laſciuæ ſunt alimenta gulæ.
O plus q̄ ſtupidam ſine corde & lumine turbam,
Cui non Belis adhuc prodita crypta patet.

In arcem Sifridi Debenij

Hanc charites Genius, Venus, & Tritonia ſedem,
Et placidus poſita Mars feritate colunt.
Scilicet hos omnes uno tibi corpore præſtat,
Debenia clarus gente Sifridus eques.
His qui numinibus dignus conuiua uideris,
Hoſpes ades noſter cætera turba Vale.

Aliud in eandem

Viſa foris ſtupidus miraris mœnia, quid ſi
Ornatus uideas interiora mei.
Et magis his omni morum & uirtutis honore
Cultum conueniens experiaris Herum?

Nullius

Nullius Alcinoi ſimiles contenderis ædes,
Et renuas ſi te Iuppiter ipſe uocet.

Aliud in eandem.

Heus quiſquis hac iter uiator intendis,
Subſiſte, dum breui morabor affatu.
Equitem Sifridum a Deben arbitror noſti,
Suæ perenne nomen & decus gentis,
In militaribus inclytum uirum rebus,
Adeoq; cunctarum integro orbe uirtutum
Mire abſolutum, comiumq́; feſtiua
Morum ſuauitate præditum heroa?
Is hanc graui pulcherimam domum ſumptu
Sibi ſuisq́; hæredibus poſuit primum,
Deinde lætis candidiſq́; conuiuis.
Quicunq; talis hoſpes aduenis intra.
Similem tui gratiſſimus dominum offendes.
Cui factus adſeſſor ſuam Ioui menſam
Sines, propinantemq́; negliges Heben.
Illud uolebam nunc ubi uoles perge.

Ad Quendam Euangelij perſecutorem.

Dum prohibes ortum populo illuceſcere Chriſtum,
Atq; pijs quæris damna necemq́; uiris.
Vt ſubito illapſi percuſſus fulminis ictu,
Amittas oculos, ſæpius oro, tuos.
Sic tamen ut quondam committens talia Paulus,
Vt uera, uelut hic, erudiare fide.

At ſuus hunc patria zelus pro lege repurgat,
Tu furis ut ſaluas conuertaris opes.

Ad Eraſmum.

Qui tam doctus, Eraſme, & eruditus,
Tam ſolers, ſapiens, catus, diſertus,
Præſenti omnia iudicas Minerua,
Et certa Tenedi ſecas bipenni,
Tam te deſipere haud puto atq; falli
Vt non, quod modo deſinente nocte
Omnis fœmina, uir, puer, puella
Nouit, Romuleum ſcias tyrannum
Eſſe ipſum Sathanan & Antichriſtum.
Quare, ſi bonus integer, fidelis
Vis dici, & ſimul eſſe Chriſtianus,
Noli iſtis nebulonibus cohære,
Iniuſtam neq; conuere cauſſam,
Vænali eloquio, quod ipſe Chriſtus.
Vt ſancto populo patrocineris,
Tam largo tibi dat benignus imbre.
Te maior licet eloquentiorq;
Orator fueris, uel alter ille
Forti traxeris Ogmius cathena
Omnes, quas tua lingua mulcet, aures,
Perſuadere nequis quod hi Nerones
Sint Eccleſia, quæ ſit audienda,
Dum per phasq; nephasq; mille technas

Commē

Commentantur, ut omne ubiq; regnum
Sub uires ſubigant ſuas, & ipſum
Sic Euangelium docent coluntq́;,
Optatum faciunt ut inde quæſtum,
Lucroſaſq; negotiationes,
Et quoſcunq; pie uident fideles
Inſanis odijs, fero furore,
Condemnant, abigunt, necant, trucidant.
Tandem lucida ueritas pateſcit,
Cui nullus Balabam poteſt nocere.
Ter æmum licet id uelint Balachi.

Ad Eobanum Heſſum.

Quo me reſpiciat, quæris, Rhamnuſia uultu,
Quoq; ſuæ poſitum uoluat in orbe rotæ,
Integer eſt annus, bona dum me fama leuauit,
Nec me quis medica clarior arte fuit.
Exhibuit dignum ædens mihi conſul honorem,
Et mea non paruo res fuit aucta lucro.
Donec raſa cohors ſacræ ad ſolennia cœnæ
Confeßi populi credula corda tulit,
Hæretici me diſcipulum mentita Lutheri
Peruerſa nullum credere mente deum.
Hinc ego carniuorus nebulo, malefidus Iudas
Deſpuor, infeſti fœmina uirq́; mihi,
Ac omni refugit me plebs cane peius & angue.
Et media tutam uix ſinit urbe uiam.

In Commiſſarium,

Diceris hac, ſed non bene, commiſſarius urbe,
Verum, prima ſit ad ſyllaba, nomen erit.

In quendam qui ſe nobilem finxit.

Si de tam claro, quod iactas, ſanguine prodis,
Quid faciem fœdat lurida lepra tuam?
Multaq; per ſcabrum phagedena eſt pſoraq; corpus,
Obſcuri certæ ſanguinis illa notæ.

In Eundem.

Hæc quæ nobilitas tua? tot conuiximus annis,
Et de qua genitus neſcio ſtirpe uenis.
Nec te de claro ſciuiſſem ſtemmate, ni tu
Dixiſſes, generis nomina fare tua.

In inimicum.

Quid, quod, commiſſus mihi dum conuiua recumbis,
Me clauſis niuens intueare genis?
Forte nigræ tenebris quia caligantia mentis
Candorem nequeunt lumina ferre meum?

De Feſto die Diui Franciſci.

Annua ſtigmatici uideo ſolennia Diui
Concelebrat feſtis æmula turba ſacris.
Nunc tibi de ſancta cedendum ſede, tuiq;
Linquendum patris eſt optime Chriſte latus.
Nam te maius habens hodie ille cucullio numen
Noſter apud ſuperos conciliator erit,
Imò diuini titulo decoratus honoris,

Ipſemet accipiet uota preceſq; deus.
Væ nunc hæretico cum complice plæbe Luthero,
Quos feriens huius Veiouis ira teret.

Ad Aldum.

Nos fers hæreticæ fauere ſectæ,
Et ſacris operarier diebus
Contra Romulei ſtatuta patris.
Mentitur mala fama, feriamur,
Nanq; ex omnibus his quot ipſa ſanxit
Conſuetudo & ephemeris notauit
Nullum præterit hac in urbe feſtum
Quin ceſſemus & otiemur, imo
Ludamus ſimul & ſimul bibamus.
Quare tam grauis hinc caue reatus
Nos falſa inſimules opinione.
Romani ſumus Adde Chriſtiani.

De Monachis Hiſtoria.

Sex una monachi dum conſedere latrina
Cœpere ærumnas commemorare ſuas.
Quod mala ridenti facti eſſent fabula mundo,
Nullus & ipſorum relligionis honor.
Quos ſolans pater, ô chari, inquit, fidite fratres,
Viuit adhuc ultor, qui uidet illa, deus.
Ille ſuos ex hoc nos tandem ſtercore fernos
Tollet, & hæreticos merget in ima uiros.
His dictis ſubito ſubtus tabulata fragore,

Atq; ſimul putres increpuere trabes.
Subſidenſq; trahit miſeram ſtructura ruinam,
Et liquidis forijs obruta turba natat.

Ad Vulgus.

Quid fatuum trepidas iungi tot ſydera uulgus
Deucaleonæas quæ minitantur aquas?
Illius authores qui nam rumoris habentur?
Scrutantes cœlum dicis & aſtra Sophi.
Quis furor eſt mendaci homini falſiſq; libellis
Plus quàm ueridico credere uelle deo?
Illius æternum non uis admittere uerbum.
Talia ſed facili ſomnia mente rapis.

Ad Clementem Papam.

Sancte tuum quidam dum nomen Papa uideret,
Pro Clemens demens legit ineptus homo,
Non ita magnus is eſt error ſi conſona uita
Illud, ut eſt ſimilis littera uoxq;, refert.

De Latrina Franciſcanorum.

Si quis Dedalea faber bipenni
Sculptor Praxitelesq; Phidiaſq;
Vis artis ſpecimen tuæ exhibere,
Ingentemq; tibi referre ſummam.
Feſtino propera aduolaq; curſu
Huc ad funigeros cucullіones,
Qui magnis modo ſumptibus uolentes
Inſtaurare nouam ſibi latrinam,

Nullos

Nullos eſſe queruntur architectos
Qui digno fabricam ſtruant paratu.

In illitteratum oblocutorem.

Quòd nemo me, niſi litterati pauculi,
Probet, obijcis, turpem uelut famæ notam.
Sed ſtulte neſcis ſumma quòd ſit iſta laus,
Si quis probatis approbetur à uiris.
Perge ergo quamuis mihi inuiſo obloqui.
Non eſt bonus quem tu & tui ſimiles amant.

Ad Vxorem.

Nulla tibi ad gelidam quereris fore pabula brumam,
Et nimia uitulam tabe macere tuam.
Ad Benedictini uicina bouilia clauſtri
Mitte, & mox paucis uacca diebus erit.

De Dorcade.

Serica promiſit ſterilis mihi munera Dorcas,
Si clauſos facerem gignere poſſe locos.
Curaui, peperit, promiſſas exigo ueſtes,
Illa meam ridens inficiatur ope.
Seq́; ſacratarum per plurima uota ſororum,
Et iuges grauidam fert peperiſſe preces.
Fœcundans procul hinc omnis medicina faceſſat,
Hoc Monachæ poſſunt ſi dare membra modo.
Iam nihil inuentos apud has in ſtercore fœtus
Suſpicor, à diuis hos petiere ſuis.

In Hannonem Piſtorem.

Mu..ris

Muneris Hanno tui uetitum cur ſuſpicer uſum?
Quæ commiſiſti crimina, quodue ſcelus?
Tam craſſis manibus tam paruos fingere panes
Qui potes, inſignem te reor arte uirum.

Ad Eobanum Heßum.

Audio Noricium te dulcis amice ſenatum
In ſua non parua tecta uocaſſe ſtipe.
Fœlices utrinq; uiri, tu cui licet inter
Cordatos homines uiuere & eſſe pio.
Illi, qui ſummum, quem fert Germania, Vatem
Se penes æterna non ſine laude fouent.
Interea, ingenuo quòd Chriſtum corde fatetur,
Hic miſerum Cordum frigida ſaxa terunt.

In Alcimum circulatorem.

Quòd mille hydropicos uno curaueris anno
Dicis, & id credit ſtulta corona tibi.
Si uerum eſt, alter fieri potes Alcime Coſmas,
Vt qui gratuitus ſis inopum medicus.
Nam quòd ab his nullum tu cœperis omnibus aurum
Teſtatur laceræ plurima rima togæ.

In Eundem.

Quèmuis in triduo promittis pellere morbum,
Forte quòd hinc quarto uis properare die.

Ad Sacerdotes.

En iterum hoc anno ſubmerſa Erffordia ſidit
Sub Stygium (ſic fert impia turba) cahos.

Et,

Et,qua tanta prius fuit urbs,mera ſulphra fumant,
Et picea ſurgens nube mephitis olet.
Hinc ille eſt toto qui iam uapor halat in orbe,
Et ferrugineos ſolis obumbrat equos.
Scilicet hanc mala plebs fœdo pro crimine pœnam,
Hæreticum quod ſit dogma ſecuta,dedit.
Omnia quæ fingi poſſunt mendacia fertis,
Vt uerus Chriſti conticeatur honor.

Ad Lauardum.

Tam manifeſta queunt nunq̃ mendacia dici,
Quin hic qui credunt talia ſemper erunt.
Inuiſum contra dum ſint modo ficta Lutherum,
Et,ne ſancta fides hac niteat urbe,iuuent.
Omnia ſeria ſunt,eſt unus fabula Chriſtus,
Hunc hodie profitens cras abiture uale.

In Concionatorem.

Num noua fingis adhuc ſtultæ miracula plebi
Sermocinator impudens?
Hoc cum te toties falſi conuicerit anno
Secus docens tandem fides.
Non durabile,quod firmant mendacia,regnum eſt,
Fictæq; fabulæ ſtruunt.
Quæ quia iam toto,ſic uult Deus,orbe pateſcunt
Micanſq; lucet ueritas,
Vana ſuperſtitio cadit,& Phanaticus error,
Et mentiens hypocriſis.

Parce leues igitur nec quicquam perdere uoces,
Scimus rapaces uos lupos.

Ad Capellam.

Vnde ſit ille rogas iam toto fumus in orbe,
Qui rutilos tingit ſanguine ſolis equos?
Scis quem luſtralem Pater urbis ſtruxerit ignem,
Quoq; pios manes uſſerit ille foco.
Hic modo diuini reſtinctus flumine fontis
Fumat, & hinc implens cuncta mephitis olet.

Ad Papam de diuo Bennone.

Factus ut incoleret cœli conſortia diuus
Sex fiſco eſt pactus Benno talenta tibi.
Nunc tria cum dederit ſed adhuc tria debeat ille,
Quem medium faueas dic mihi Papa locum?

De diuo Bennone.

Cum diuus celebri Benno effoderetur in æde
Inuentæ pueri ſunt niſi relliquiæ.
Quid rides? ſuperum nulli dat Chriſtus Olympum,
Ni fuerit factus paruulus ante puer.

Diuus Benno ad Emſerum.

Sæue quid in ſanctum ferues Emſere Lutherum,
Quid uomis infami dira uenena libro?
Nulla eſt impietas, nulla eſt blaſphemia crede
Stulticiæ fatuos admonuiſſe ſuæ.
In ſua lucra nouum qui me fecere Bahalem,
Et quaſi diuino numen honore colunt.

Me,

Me, quod ſcis, homines hominem genuere parentes
Qualia ſunt uobis membra fuere mihi.
Ergo ſuo cura reddantur ut oſſa ſepulchro,
Meq́; mea liceat poſſe quiete frui.
Et tu tabificum tandem de pectore uirus
Pone, nec heroas liuide perde tuos.

Ad Caluum.

Maxima Bennonis populo miracula narras,
Vt modo tot ſanos fecerit ille uiros.
Si non falſa, quod es ſolitus, mendacia dicis,
Tunc quoq; te Miſnæ Calue fuiſſe uelim.

Diuus Benno ad Aeolum

Vt claudos reparem tibi me petis Aeole greſſus,
In manibus non eſt id dare poſſe meis.
Ipſe, uides, expers neruis ac putida tabes
Exanimes quoq; non queo ferre pedes.
Quin empta multis ope milibus hanc modo ſedem
Conſcendi, & numen tu uenerare meum?
Saluificum potius ſapiens pete conſulo Chriſtum,
Quis furor eſt tantum me coluiſſe deum?

Ad Aeolum.

Stulte tuos ut Benno pedes petis Aeole curet,
Imò pete inſanum curet ut ille caput.

Diuus Benno.

Aeternam requiem qui dem tibi? quam queror ipſe
Non iſtos inter Stentoras eſſe mihi.

Qui

Qui me continuo miſerum clamore fatigant
Vt reſonans fuerit gratior Aethna domus.

Idem ad Populum.

Quiquis ades ſignis & nutu fare precator,
Necquicquam uoces audio, crede, tuas.
Iugibus obtuſæ ſurdent clamoribus aures,
Hac mihi quos multus Stentor in æde ſonat.
Eſto quod audierim tua ſunt tamen irrita uota.
Quæ mihi das unus numina Chriſtus habet.

Ad Gallum Medicum.

Te quoq;, quod dixi tibi præſcius ante prophetes,
Deſpiciunt domini reijciuntq; tui.
Id magis hoc miror quod uerbi maximus hoſtis,
Et perromanans antilutherus eras.

Epitaphium Ducis Friderichi.

Electus, ſed qui renuit diademata, Cæſar
Hac pius ille cubat Dux Friderichus humo.
Omnibus inſignis uirtutum laudibus heros,
Excellens cui fama decusq; ſui,
Credula quo Chriſtum Germania Principe cœpit,
Quamq; diu preßit peßima Roma fidem.

Aliud.

Hic ſitus ille pater patriæ clariſſimus heros,
Inclyta Saxonici laus Friderichus agri.
Aſpicis æratum, uulgare toreuma, ſepulchrum,
Inuitus tamen hoc accipit ille decus.

Quod

Quòd ſi pro merito digne tegeretur honore,
Aurea & ex gemmis lucida tumba foret.
Tranquillam retulit ſic uita ut nomine pacem.
Qua nullus melior laude triumphus erit.

Dux idem ad Ciues ſuos.

Tandem flere tuum pia me plebs deſine patrem,
Et noli, quòd ſis orba relicta, queri.
Ecce mei ſimilis poſt me te ſuſcipit hæres
Aequali dignus frater honore coli.
Nobile cui ſua dat, ceu pax mihi, gratia nomen.
Poſt hunc qui referat dulcis utrunq; nepos.

In icona Ducis Ioãnis.

Stulte quid alloqueris, reſponſa quid expetis hoſpes,
Supplice quid fruſtra me uenerare genu?
Mortua ſum, quem tu me rere, illius imago
Egregium Lucæ ſed properantis, opus.

Ad Ducem Ioan. Fridericum.

Nobile mixta cui dat pax & gratia nomen,
Ciuibus inuiſus qui potes eſſe tuis?

Ad Typographum,

Nullus in ædendis modus eſt finiſq; libellis,
Vſq; nouis alijs omnia plena ſcatent,
Vt non tot cerafis ueniens quintilis abundet,
Plura nec Auguſtus ſub cane pruna ferat.
Nec tot in apricis erucas frondibus unquam
Aut Maio uermes uideris ire ſolo.

M Si quo-

Si quotus eſt lector tam multus debet & autor
Eſſe, ſuum ſcribens dat quoq; Cordus opus.

De Arria.

Confeßura Cadum ſemper petit Arria, quare?
Nequitias lapidi uult numerare ſuas.

De Monacho Medico.

Heredem monachum cœlebs Antonia ſcripſit,
A quo nunc medicam languida poſcit opem.
Quæ ueſtra in ſanctum eſt hæc diffidentia patrem?
Non ſinet hac illam, credite, febre mori.

Ad Hunum.

Venerat huc quidam uicina pulſus ab urbe,
Ob certum facinus neſcio quis rabula.
Quem poſtquam comitans profugum torqueret egeſtas
Qua rabidam pellat cogitat arte famem.
Forte iacet poſito lacer hic herbarius orbe.
Quem legit, & medicam mox profitetur opem.
Illico ceu fatuæ uiſo bubone uolucres,
Stipat honoratum maxima turba uirum,
Miſſa ferunt paſſim uetulæ urinalia ſagæ,
Et nouus it magnum rumor adeße ſophum.
Quid iuuat externa peregre regione uagari,
Totq; annos uarijs inuigilare libris?
Huc ades, & paucis quod uis potes eſſe diebus,
Magniloqua tantum grandia uoce tona.

Ad Aphrum.

Hos

Hos peccare putas qui tam ſua corpora curant,
Vt medica ſeruent & tueantur ope.
At te continua ſic ebrietate gulaq́;
Dum perdis, ſanctum quod facis Apher opus?

De Libris Emſeri.

Exceptura nouas Emſeri cartha lituras
Quo potuit tales extulit ore ſonos.
In quancunq; libet potius deferte cloacam,
Ne merdis tereret me caper ille ſuis.

Ad Hacum.

Quòd nihil Emſerus quòd recto conſonat edit,
Sed niſi quæ ſuriunt friuola ſcripta, ſtupes.
Sic agitans hominem liuorq; podagraq; cogit,
Et ſimul inſtructrix edocet impietas.

De Lucia.

Tabida ſemeſtrem mactauit Lucia porcum,
Quem pauit tantum ſtercore parca ſuo.
Tres habet hæc eadem gallinas, nullus & illis
Præter quæ tuſſit liuida ſputa, cibus.
Siue igitur lardo ſeu lucia ueſcitur ouis,
Seſe edit, & macies unde ſit illa, rogat?

Ad Coppum.

Diſplicet Emſero meus audio Coppe libellus,
Nunc ſcio quòd docto cuiq; bonoq; placet.

De Emſero.

Aggreſſa Emſerum uehemente podagra dolore,

Fatalem uoluit claudere ſorte diem.
Id cernens liuor non recto lumine dixit,
Nil agis à telis concidet ille meis.

In imaginem Eiuſdem.

Errans Liuorem credit me ſorte uiator,
Vera ſed Emſeri ſum ſenis effigies.

Ad Heinrichum Euerbinum

Vnde ſit ut raſi quo conſedere ſodales
Hoc bona ſit tellus & mala uita loco?
Hinc puto, ſola ſui prouentus commoda ſpectant,
Et prauis homines moribus inficiunt.

In mortem Tilonis Brandi.

Vt canum ſenio uidit langueſcere Brandum
Sic ait abſcindens ultima fila ſoror.
Non tua te nunc iura iuuant, facunda nec ora,
Ad legem mutus cogeris eſſe meam.
Nummorumq; feres adeo nihil inde tuorum
Vt Stygio nequeas ſoluere naula ſeni.

Ad Coßum,

Qua tibi pingue queas medicina reddere corpus
Quæris, & has rugas pellere Coſſe tuas.
Ex uarijs methodum poßem tibi ſcribere libris,
Aſt emperica plus iſta ualere puto.
Ieiuna, uigila, duro te pone grabato,
Ora perpetuo, continuoq; ſtude.
Rides, & ſolito me tecum ludere more

Reris

Reris, crede, tibi ſeria uerba loquor.
Hoc quia compertum eſt monachos craſſeſcere pacto,
Cuius quæ tumeant, cærnis, omaſa gregis.

In Monachum Medicum.

Fert anus urinam Monacho Lenonia, dicam
Qua de re ſanctum conſulit illa uirum
Cuiuſdam queritur menſes non ire puellæ.
Cui medicam poſcit, ne tumefiat opem.

In Franciſcanum.

Multa tuæ populo iactas duriſſima uitæ.
Alta quibus meritus nos quoq; ad aſtra uehis.
Scilicet inſomnes noctes, triſteſq; grabatos
Aſſiduum ſtudium continuaſq; preces
Inſuper indomitæ frenos ieiunia carnis,
Et mendicati uilia fercla cibi.
Credo, ſed unde tibi craſſi palearia menti,
Iſtéq;, quo ſcropham uincis, aqualiculus?

Epitaphium Tuccæ.

Hoc ubi defunctus tegeretur Tucca ſepulchro
Sic uno eſt adſtans ore iocata manus.
Tandem rupta cutem, ſed morte, remiſit irudo,
Extingui potuit non ſecus illa ſitis.

Ad Hunum

Omnis iniqui hæres, aut ipſe eſt diues iniquus,
Mitrato repetens ex patre uulgus ait.
Si ſanctus uerum dixiſſe uir ille putatur,

Tunc ex hac iuſti nos duo parte ſumus.

Ad Carolum Cæſarem.

En ut uerus eram uates tibi maxime Cæſar,
Promiſſam rupit transfuga Papa fidem.
Mox tamen ut fauſto uictor tu Marte triumphas
Conſilium uertet ſubdolus ille ſuum.
Vtq; tuis rurſum ſe poſſet iungere caſtris,
Tentabit uarias, qua ſolet arte, ſtrophas.
Sed noua non mendax iterum præſagia dico,
(Ne dubita uerbis pondus ineſſe meis)
Hunc modo deiectum ſi quando leuaueris hoſtem,
Iratis ſuperis terrigeniſq; cades.

Ad Eundem.

Fœdifragum tandem tibi conſulo deſere Papam,
Et tua iam uindex aſſere iura tibi.
Ne, ſic inuiſum cœlo terræq; tyrannum
Dum colis, amborum deſtituaris ope.
En ut læta ſuis dudum tibi Roma columnis
Annuat, & dominum te uelit eſſe ſuum.
Vt tandem hic pulſis Corybantibus ac Megabyzis
Incipiant fortes induperare uiri.
Vt priſcum redeat decus & ueneranda poteſtas,
Quiq; ſub Auguſtis floruit ante ſtatus.
Hic ſua Cæſaribus ſedes hæredibus olim,
Hinc uetus imperij nomen honoſq; tui.

Ad Eundem.

Dum

Dum tibi Romanus complex Salmoneus eſſet,
Ingenti poteras non ſuperare manu.
Mox ut is aduerſum nunc eſt mutatus in hoſtem,
Deuicto Gallo Maxime Cæſar ouas.
Quæ cauſſa eſt? toti iam dudum inuiſus Olympo
Viuit, & hæc nocuit tum quoq; culpa tibi.

Ad Eundem.

Regnauit referens quondam te nomine Cæſar,
Ob ſua qui Magnus geſta uocatur adhuc.
Quem cum tu celebri fama uirtute q; uincas,
Pro meritis debes Maximus eſſe tuis.

De Gallo.

Inſultantem Aquilæ ſupero de uertice Gallum
Vidit, & iratus ſic Ope natus ait.
Quid quem conſtitui tibi temnis perfide regem,
Atq; adeo armigerum non uenerare meum?
Vt diſcas igitur dominæ parere uolucri,
Semiuir exemptis teſtibus eſto capus.

Capus

Quàm ſit non eadem ſemper fortuna uidete,
Et mecum ſortem quæſo dolete meam.
Ante ſuum Galli me regem habuere,ſed cheu
Factum pullorum cernitis eſſe ducem

Ad Hainrichum Ducem Brunſuicenſem

Nuncia Cæſareum cum ſpargit fama triumphum
Et fuſam Galli ſuccubuiſſe manum.

Exhibet

Exhibet innumeros hilaris Germania luſus,
Et circum rapidos cantat ouatq; rogos.
Sed ſua quimelius quàm tu tam gaudia prodat
Ex tot non unum milibus eſſe puto.
Vtpote cui ſub idem tempus ſimul ædita proles
Carolus hinc Victor nobile nomen habet.
Quod, uanum dum ceſſat Io tenueſq; fauillæq;,
Huius mnemoſynum non leue Martis erit.

De Carolo Cæſare.

Ex ſolis aliquot iam Cæſar fercula criſtis
Fertur conuiuis appoſuiſſe ſuis.
Id leuis huic potuiſſe labor, faciliſq; facultas,
Qui tot Gallorum milia fudit, erat.

De Lagello Sacerdote.

Multos unctus habet nothos Lagellus,
Quos ex fratribus eſſe ait nepotes,
Qua uerum id ratione dicat, audi,
Fratres teſticulos ſolet uocare.

In Scadricium.

Claro maiorum te natum ſanguine iactas,
Dictus ab antiquo nomine Scadricius.
Sed cum plurima te ſcabies & pſora fatiget,
Appellandus eris nunc mihi Scabricius.

Epitaphium Hainrichi Oſcarolebij.

Hac ſitus Hainrichus tegor Oſcarolebius urna,
Inter honoratos candida fama uiros.

Qui

Qui mei ut antiquis maiores ſemper ab annis
Pro placida patriæ commoditate fui.
Chare uale frater, quæq; in te tota ſtat uno,
Fac ſerues noſtram perpete prole domum,

Ad Diuam Catharinam.

Si uera abiectum fama eſt te temnere mundum,
Quid facit in digitis anulus iſte tuis?
Illo me Chriſtus nuptam ſibi pignore iunxit.
Eſſet ut æterno tempore caſtus amor,
Si tuus hic ſponſus, rata ſi connubia, quare
Hac uerbum non uis illius æde pati?
Non hæc culpa mea eſt, raſæ male ſeruio ſectæ,
Cui nihil eſt, ſi non fert ſua lucra, pium.

Ad Gallicum Medicum.

Surdaſtrum curare ferunt te Galliæ Coſmam.
Et quòd ei certam polliciteris opem.
Sed nihil efficies licet omnem extenderis artem,
Nam male perpetuos audiet ille dies.

Ad Bertramum Dammum.

Amnicolæ in ſanctum Pauli uis ſcripta Lutherum,
Conuiuas cupiens exhilarare tuos.
Non habeo ſed habet ſecretæ capſa latrinæ,
Nuper in exiguas dilacerata ſchedas.
Qui ſuauem uerbi tam fœdus ſpurcat odorem,
Illa decet talem bibliotheca librum.

In Quendam malum.

Ex albas certo defrictos pulvere dentes,
Iam ſatis hi candent, nunc nigra corda frica.

Ad Quendam amicum.

Ex quo pluribus hinc ſagax ab annis
Romani iuga noſcis antichriſti,
Immanemq; tyrannidem fateris,
Et fraudes tibi diſplicent, doliq;,
Cur iam, quando tuum iſtud inſtitutum
Poſſis linquere honeſtiore uita,
Illius quota pars manere regni
Gaudes, & magis indies opima
Sacerdotia, fomitem nefandis
Captans illecebris auarus ambis?
Vis, quæ ſuſpicor eſſe uera, dicam?
Nec Chriſto nec es æquus antichriſto
Sed pro delicijs tuis iuuandis
Vel hoc neuter abuteris uel illo.
Tu dic ergo bona fide uiciſſim,
Nunquid, quem magis omnibus prophetis,
Cunctis deniq; biblijs reuoluis,
Lectus cœperis eſſe Lucianus?

Epitaphium Petri Moſellani.

Parua Moſellani claudit breue membra ſepulchrum,
Sed magnum uaſto nomen in orbe uolat.

Aliud.

Quòd docto uitam poterant abrumpere Petro

Iniuſtum Parcas nomen habere liquet.

Ad Lauardum.

Non alia hic Euangelium ratione Lauarde
Accipient ſtulti, ſaxea turba, ſophi
Quam, cum conficiunt uernam, ſua pocula, inunam,
Vt quis id huic furtim miſceat, hincq; bibant,
Qualiter, ut pereant mordentes uiſcera uermes,
Inuitis pueris pharmaca tecta damus,
Tam nec amara illis aloe, nec Santonis herba,
Quam mera dans uitæ nectara Chriſtus olet.

Ad Sacerdotes.

Saxea turba meo dicti eſtis carmine patres,
Memior, id faſſo parcite quæſo mihi·
Nam potius mollis debetis ſpongia dici,
Arida quandoquidem non ita ſaxa bibunt.

In Tantalum·

Sex annos claudo tibi læua Tantale coxa
Eſt a me fateor certa negata ſalus.
Hoc tamen à morbo te ruſtica dextra leuaſſe
Fertur in inuidiam, ſic ego credo, meam.
At te non artis ſed fati ope crede ualere,
Sæpe poteſt caſus quòd ratio ipſa nequit.
Quamquam quòd ſpecimen, uel quæ miracula dicam,
Quodq; Hippocratico dedecus inde choro?
Si medicus pecorum pecori medeatur agaſo,
Sanandos homines nam ſchola noſtra docet.

Ad Hunum.

Hunc rogas qualem ſe Dama oſtendat amicum,
An, quam promiſit nunc quoq; preſtet opem?
Omnem candorem ridenti ſuauiter ore,
Nimirum dentes, exhibet ille, ſuos.

In Hyperaſpiſten Eraſ.

Si quibus offenſus ſcriptis male Papa fauebat
Hoc tibi placatus niuet Eraſme libro.
Sed non, quos ab eo melior pietaſq; fideſq;
Vertit, ei rurſum conciliare potes.
Hæc tua delectat, fateor, dulciſſima Siren,
Dulichio tamen hic nos decet eſſe dolo.

Liber ad Autorem.

Si me Centuriam uis dicere deſine Corde.
Si librum quauis ſiſtere parte potes.

FINIS.

EVRICII CORDI EPI-
GRAMMATVM LI-
ber Septimus.

Ad Georgium Sturcium.

Si te quæque mei celebrarit pagina libri,
Et geminum uerſu tollat ad uſq; polum.
Non tamen æqualis merito tibi gratia reddi,
Nec digna poteris tu mihi laude cani.
Candide uis igitur ſolui quod debeo Sturci,
Cum tota uitam re tibi tolle meam.

In Ioannem Menſingum.

Tam nihili tibi uiſus homo eſt Menſinge Lutherus,
Hoc ut eum ſperes uincere poſſe libro?
An captata leuis male iudicis aurula uulgi,
An placet hoc etiam nomine partus honor?
Languida quid fragilem tu muſca proboſcida figis
Hic ubi tam multus nil elephantus agit?
Tu tamen euicta ueluti tibi lite triumphas,
Quod tacet ad nugas hactenus ille tuas.
Vno te leuiter digitorum triuerit ictu,
Si uiuam pungas huic penetreſq; cutem

Ad Emblicum.

Sunt hic qui diuum te dicunt Emblice Petrum
Quod tacito Chriſtum pone ſequare pede.
Stas tamen ad gratas intra Caiphæ atria prunas,
Te calidum lapſo cœlitus igne uelim.

Ad Franciſcanos.

Dicitis

Dicitis Hiſpanos ueſtrum petijſſe Miniſtrum
Dum tribus in ſacra menſibus æde tacet.
Vel mentiti eſtis, magicam uel nouit is artem,
Vt queat aſcenſo quolibet ire capro,
Hac quia deprenſus quodam eſt in fornice nocte
Inter laſciuas ebrius ille lupas

Ad Heluicum.

Miraris impij quid uxor Alcæi
Medicos quotidie petat cucullatos.
Turgentibus peßum cupit locis ſubdi
Hac arte maxime pij ualent fratres.

De Monacho cui Scrofæ cognomen.

Ex alto media ſuggeſto cœpit in æde
Plebi ſermonem dicere Scrofa ſuæ.
Cumq; Lutheranos ferus inueheretur in hoſtes
Fracta pedum ſtrepitu per tabulata ruit
Subtruſiſq; togis imam delapſus ad aluum,
Ridiculum nuda pube pependit onus.
Impoſuit falſo mendax cognomine frater,
Arcadicum uerres cuſpide uicit aprum.

Ad Mulieres quaſdam.

Quòd fune cinctos & glabros cucullatos
Medicos habetis atq; uiſitis ueſtros
Mirum nihil, quia integros uiros ſcitis,
Quod uero præciſos ſubinde Iudæos
Non ſecius celebratis oro quæ cauſa eſt?

Non febre ueſtros coniuges mori uultis.

Ad *Numam.*

Nullam progeniem bis quinq; uel amplius annis,
E tenera iuuenis coniuge Varro tulit.
Donec in extrema iuxta ultima ſtamina tabe
Funigeri medici perpete iutus ope eſt.
I nunc & ſacra Franciſci femoralia ride,
Nilq́; cucullatos dic Numa poſſe uiros.
Nude Lupercæ uale, uale item Iunonia pellis,
Hæc ueſtrum ueſtis turbaq́; numen habet.

In Gerebinum.

Qui tibi uiſus inops, & non curabilis æger,
Huic noſtram monſtras mox Gerebine domum,
Atq; ais ille poteſt hac alter in arte Galenus
In paucis certam ferre diebus opem.
Pluraq́; de docto iactas præconia Cordo,
Quæ ſit dicturus ſcilicet ille mihi.
Hoc te conſilio uis fidus amicus haberi,
Vis fore, primates huc mihi mitte uiros.
Magnus adulator blando quos allicis ore,
Et ſtudio infenſos efficis eſſe meo.
Quos didici medicum ſine me depellere morbos,
Tu potius miſce Pharmacopola tuos.

Ad *Eundem.*

Per tibi dilectæ dulciſsima furta puellæ,
Per Plutum quæſo te Gerebine tuum.

Dic mihi quam noſti, quod ſic extolleris, artem
Quod tantam tibi habet fœmina uirq; fidem.
Prorſus es indoctus, reliquorum more, ſacerdos,
Vixq; legis miſſæ barbara uerba ſchedæ.
Tu tamen hac magnus celebraris in urbe Galenus,
Et te uult medicum quilibet eſſe ſuum.
Forte quòd egregius blanditor palpoq; noſti
Seruili, cuiuis quod placet, ore loqui?
A mulſaq; leues plumas abſtergere ueſte,
Et dominum ſupplex ferre ſupercilium.
An quoq; ficta iuuat pictas, Phariſæaq; corda,
Quodq; Lutheranum non ita dogma probas?
Hoc ſi quærendus fauor eſt & opinio pacto,
Infenſum ſemper uulgus habebo mihi.
Cui, quos antiquos habuit Germania mores,
Candida libertas ſimplicitasq; placet.

Monedula Cordi ad Brunſuicenſes.

Quæ paulis adimunt hic ſolis lumina pennis,
Centum Stymphali ferre poteſtis aues,
Atq; pio rapidas Harpyias corde fouetis,
Quæ ueſtras fœdant & populantur opes.
Cur ego, quæ nullum plane inſons infero damnum,
Infeſtis odijs inſidijſq; petor?
Sed meliusne mihi fatum uolo ſerua uolucris,
Quàm meret officijs hic herus ipſe ſuis?
Diſplicet huic quiſquis bene uult & conſulit urbi,

Hos

Qui nocet, is ſummo cultus honore placet.
Hos ut ueſtrates patienter ſuffero mores,
Nec minus inuiſum clamito Papa uale.
Quæ niſi tu mecum Brunſuicum uerba loquaris,
Non tibi propitium noueris eſſe deum.

Epitaphium Eiuſdem.

Hic ſita ſum ueſtras imitata monedula uoces,
Cordinæ luſus deliciæq; domus.
Omnia ridenti populo mea uerba placebant,
Præter dum cœpi dicere Papa uale.
Tunc raſorum odio patrum inſtigata iuuentus,
Quæſijt indignam fuſte lutoq; necem.
Hæc tamen euaſi pernice pericla uolatu,
A ſene dum perij duriter icta Cado.
Qui tanta nam ſtulta grauem leuitate putaßem,
Vt miſeram ſapiens inſequeretur auem?
Quo nocui quæris, crebra fur uoce ſonabam,
Id grauiter nomen conſcius ille tulit.

De Triphone ſacerdote.

Non ego confeſſæ mihi dicta piacula plebis
Prodo, docens ſacra dixit in æde Triphon.
Sed proprium quiuis ut curet ponere furnum
Conſilium tibi do concio chara meum.

Ad Lectorem.

Ne te nocturni pulices pedeſq; fatigent,
Hunc exorciſmum candide Lector habe.

Manſtula correbo budigoſma tarantula calpe
Thymmula dimari golba caduaa trepon.
Hos nouies lectum ſcanſurus concine uerſus,
Treſq; meri calices ebibe quaq; uice.

Ad Truonem.

Suprema credens Truo te diſcumbere ſella
Efferris, noli, eſt infimus ille locus.

Ad Heraclitum.

Quid Brunſuicenſi faciam me quæris in urbe,
Qua medica nullum ſuppetit arte lucrum?
Alter Democritus ſtultos hic rideo mores,
Quos madidis potius tu lachrymere genis.

Ad Hunum.

Pulmonem ſub uentre, iecur ſub gutture ponit
Ignorans qua ſit ſplen quoq; parte Corax,
Et ſitiens hydrops quod ſit putat hectica febris,
Vna omnes morbos deniq; curat ope.
Et tamen hac alter celebratur in urbe Galenus,
Nec fatuos homines crebra feretra mouent.
Aſt ego ſi reduces reuocem in ſua corpora manes
Hinc artis nullum nomen habebo meæ
Sceliæt ob ſacrum plæbes huic credit amictum,
Meq; Lutheranum deuouet hæreticum.
Quare huc accitus Medicus ſi ueneris unquam,
Tunc factus Chriſti dogma nega monachus.

In quendam Franciſcanum doctorem.

Vides

Vides recaluaſtrum & cucullatum Patrem
Illum, nigro ſuperbientem pileo
(Inſignis hoc quod eſſe Rabi proditur)
Tortaq; cannabe & reciſis calceis,
Plane alterum hac in urbe Franciſcum, cui
Tammulta ſemper eſt in ore caſtitas,
Cum ſimplici ſermocinatur plæbei,
Qui beluinam tam ferox libidinem
Abominatur, execratur, deſpuit?
Hunc Roſtochi nuper ſuo in cubiculo
Quidam irruens non obdito hoſpes peſſulo
Offendit incautum peractis á ſacris
Cum nuda & inſidente menſæ uirgine.
Non ſuſpicare de bono malum uiro
Audita confeſſæ expiauit crimina,
Quæ debitas ſic uapulans pænas dedit.

In Eundem.

Si, quod ais, ſocia qui uinctus coniuge uiuit
Non poterit ſoli rite uacare deo,
Dic age quo nam tu potes huic te dedere pacto,
Multa diſtractum Laide ſancte Pater?

Epithaphium Cadi.

Franſciſcana ſuo, qui mos eſt, ſecta cucullo
Induit ægrotum iamq; in agone Cadum
Qui cum ſub Stygias ueniſſet mortuus umbras,
Diſtribuens pœnas ſic Rhadamantus ait.

In ſocio potuit potorum hic agmine ſiſti,
Nunc factum Monachum non locus ille decet,
Extremos igitur petat, infima Tartara, luctus
Vltra Ephialtæos Aeolidæq; focos.
Horum ubi ter centum ſpectrorum milia plorant.
Pro Chriſto Latium quod coluere Babal·

Ad Damam.

Quod facili arrides humaniter obuius ore.
Virtuti tribuo non ego Dama tuæ.
Hoc facis ut pulchros poßis oſtendere dentes,
Concolor his intus te cor habere uelim.

In Cœnaculum Cuiuſdam.

Hinc grauis anxietas hinc mordax cura faceßat,
Nam ſacer eſt Genio læticiæq; locus·
Non eris hic gratus niſi collætaberis hoſpes.
Si quis Chriſippus uel Cato uiuis abi.

Ad Linum.

Quod Paulina petunt crebræ Line clauſtra puellæ,
Non debes ſanctos inſimulare uiros.
Qua laceras illæ reparent utcunq; corollas,
Eſt ibi perpetuis multa Sabina comis.

Ad Ciues.

Vidiſtis heſterno die optimi ciues,
Qui concionans caluus ille Rabinus,
Qui cannabina ſanctitate præfulget,
Iraſceretur & tumultuaretur,

Nouumq;

Nouumq́; teſtamentum ut impias nugas
Rabido impetu abiecit, uetans id indoctis
Mulierculis legendum & inſcio uulgo.
Is unde ſit miramini furor, dicam.
Formoſum habebat caſtus hic pater ſcortum,
Id hunc librum emit legit & deum Chriſtum
Agnouit. exactamq́; corrigit uitam.
Nec amplius mutoniatum amat eunuchum.

De Franciſcano.

Ex iſtis qui ſe præcingunt cannabe, caluis
Quidam rus lectum munera frater ijt
Quem duo dum prenſum ſpoliaſſent ueſte latrones
In ſolo redijt nudulus induſio.
Hunc pater ut uidit rem cœpißetq́; miniſter
Corripuit medium ſumma ubi crura uirum.
Et, tibi ſaluus adhuc, ait, eſt quid ringere? penis.
Hic ablata ſtatim reddere cuncta poteſt.

Ad Schadum.

Dat gentile tibi damnum cognomen, idipſum
Ex ſignis poterit cuiq; patere tuis.
Nimirum mixto Monachi & lupi imagine monſtro,
Plus utroq; rapax eſt animante nihil.

Supra orbicularem menſam.

Omnes ad medium conuiuæ accumbitis orbem,
Sic poterit ſummum quiſq; tenere locum.

Ad Ianum Cornarium.

Bis tua Cornari doctiſſima littera uenit
 Vtraq; Pierio conſpicienda choro.
Quàm mea tu plenus efſers præconia buccis,
 Meq́; breui ex muſca grandem elephanta facis.
Quo me ſic nimius perfundas rere pudore?
 Qui uires norim conſcius ipſe meas,
Quàm, puta, ſit tenuis mihi res, quàm curta ſupellex,
 Exiguo eſt maior calceus ille pede.
Attamen ignoti gratum eſt mihi pectus amici,
 Et facile errorem dono feroq́; tuum.
Si modo ceu talis fuerit tibi Cordus ametur,
 Eſt aliquid Iano poſſe placere meo.

Ad Langum.

Qui, quod rogas, ſacrum hic dei audiat uerbum,
Ex hoc poteſt amice Lange conſtare.
Inter potentes hac in urbe primates,
Qui publicæ rectorem habent rei clauum,
Quidam, putatus tertius Cato, conſul,
Vbi de nouato Eccleſiæ ſtatu ſermo
Frequente nuper incidiſſet in menſa
Quid eſt, rogat, pleriq; quòd ſacerdotes
Crebro ſuis in concionibus dicunt
Marci atq; Matthæi, quid hæc ſonant uerba?
Cunq; aſſidente à quopiam moneretur
Noui eſſe teſtamenti eos quotos libros,

Apage

Apage, inquit, improbos uiros ab hac urbe,
Nunquid ſciunt quòd uterq; noſter hic Rabi
Hic Dominicum profeſſus, ille Franſciſcum,
Sancta ambo relligione maximi patres,
Id ut impiam atq; peſſimam hæreſim dudum
Abominantur, execrantur & damnant?

Ad Senatum.

In tribus omne malum ſe pellere poſſe diebus
Ad ſacras quædam clamat inepta fores,
Id ſi tu poſſes facereſq; uerende Senatus
In quarto non hic afforet illa die.

De Catulina.[1]

Non infame magis Catulinam credite ſcortum
Conuerſam Chriſto ſe dedit illa deo.
Nanq; cucullato raſum caput obſita cultu
Inter funigeros cernitur ire patres.
Hic quo peccauit pœnam quoque corpore ſuffert,
A cunctis quando uapulat una uiris.

In Vulgus.

Infeſtum medico non hic mirabere uulgus
Diligit aſſiduam, quam uetat ille, gulam.

De Cinna.

Depoſito ſemper pedit ructat pudore
Et putat hos mores Cinna placere ſuos
Scilicet utile quod fuerit contendit honeſtum,
Nunquid Stoicus hac eſt ratione ſophus?

Ad Eundem Cinnam.

Ad quamcunq; ſedes inter conuiuia menſam
Eructas claro Cinna crepaſq; ſono.
Nunc tibi cum medica, quæ talia præcipit, arte
Conuenit, hoc ſaltem grata ſit illa modo.

Ad Hainrichum Stapenſenium.

Iucundiſſime mi ſodalis audi
Rem perridiculam ſed & dolendam.
Vſurarius ille fœnerator
Indoctus, rudis, & tenax ſacerdos
Mercenarius in tua æde paſtor
Iam poſt quinq; ſemel coactus annos
Vnam nuper habere concionem
Commiſſas ad oues ſuas parauit.
Huic ter continuis decem diebus
Nauauit ſtudio, omniumq; uoluit
Commentaria ſummulariorum,
Quos à docticulis quibuſdam amicis
Accepit miſer ille commodatos.
Cum iam ſingula ſenſa crederetur
Sacrorum didiciſſe bibliorum,
Ad feſtamq; paratus eſſe lucem,
Conſultum dubius cucullionem
Quis Chriſti fuerit pater rogauit.

Ad Leuinum Emdenum.

Sit precor hic fœlix tuus hanc aduentus in urbem

Maxima

Maxima iuridici fama Leuine chori.
Gaudeo poſt unum multa inter milia Dammum
Hic quoq; te doctum cernere poſſe uirum,
Et ſua cui niueus cohoneſtat pectora candor,
Inq́; Cytheroniadas prona cupido deas.
Ergo tuos numeres Cordum precor inter amicos,
Et uel in extremo des reſidere loco.
Sic quod in hac me barbaria ſoletur habebo,
Nec ſolis ſaxis mœſta Thalia canet.

Ad Medicos.

Hac procul eſte boni medici, uos hortor, ab urbe,
Et uel apud ſæuos querite lucra Getas.
Nil diuina dabit ueſtri hic doctrina Galeni,
Nec magnus quicquam proderit Hippocrates.
Nam uietæ tantum uetulæ, atq; impoſtor Apella
Caluaſtriq́; ſues & uagus erro placet.
Huic ſoli ſuus eſt hic cultus honorq́; farinæ,
Huic habet addictam fœmina uirq́; fidem,
Credita Chaoniæ non ſic oracula quercus,
Nec tam certa dedit Delphicus ora tripos.

Ad Eoſdem.

Medica tuum qui quæris arte tibi cibum
Etiam alter aut Galenus aut Hippocrates
Vel ipſe Pæon aut Apollo ſis, caue
Dictam Duce à Brunone ad urbem te feras,
Vbi tua eſt contempta ſic profeſſio,

 Vt ipſa

Vt ipſa grata crapula & potatio.
Quod uatibus cum nollem amicis credere
Rerum graui experior mearum incommodo.
Quippè aureorum allectus huc ſpe montium
Præter meram mendicitatem habeo nihil,
Quas ante me quicunq; erant medici hinc opes
Diuenditis ſecum tulere ueſtibus.
Quocunq; uis alio potes melius loco
Apud idiotas barbaroſq; ruſticos
Iuuenum ocioſus eſſe paſtor anſerum.

Ad Vxorem

Audi quo raſi uicinum murmure funus
Obtundunt, promptis quam cita lingua uiris.
Si tales cantus redimendis manibus adſunt,
Percipit has facili ſi deus aure preces,
Non opus eſt magno turbam conducere ſumptu,
Exequias detur ſi celebrare meas.
Paucos anſeribus de furfure ſparge pugillos,
Et ſimili poßunt hi ſtrepitare ſono.

In quendam Sacerdotem.

Nulla eſt concio, quin magno terrore mineris,
Extremum breue poſt tempus adeſſe diem.
Id ſi credere te monſtres, credemus & ipſi.
Nil te ſecurum tale timere patet,
Qui miſera pallens ita ſollicitudine quæris
Immenſas, ueluti non moriturus, opes.

Ad Ne-

Ad Medicos.

Sat dixi, nullum medicus ſortitur honorem,
Et nullum facit hac ſpretus in urbe lucrum.
Hoc edocta diu clarorum turba uirorum,
Hoc didici damno ſerus & ipſe meo.
Si quis adhuc noſtra demens non ſorte monetur,
Dignus, ut hanc præſens experiatur, erit.

Ad Celerem Bibliopolam,

En noua Franciſcus ſtupidæ miracula plæbi
Exhibet, in plænum munera ferte tholum.
Hic quoſcunq; ſuos Martino credere fratres
Percipit, extemplo uindice morte ferit.
Qui uero Latij ſiſtunt in dogmate patris,
Hos beat, & primo dat reſidere loco.
I nunc & uetitos Martini iraſcere libros,
Et cautos Celer hic inficiare patres.

Ad Amicum.

Pallentem faciem, macraſq; buccas
Me miraris habere, qui medendi
Iam tot ſim ſtudium profeſſus annis.
Hac qui ſanus in urbe conualeſcam?
Qua tam nubulus & malignus aer,
Tam craſſum riget undiquaq; cœlum,
Vt, quamuis redeuntis orta ſolis
Totum lux modo ſplendeat per orbem,
Aeternæ hic maneant tamen tenebræ.

De Obba,

Interfectorem populi petit Obba Diaulum
Nec me uult medicum coniugis eſſe ſuæ,
Non quod me putet indoctum uel reprobet, imo
Qua quid uterq; poteſt arte fideq; uidet.

In Pandectas Matthæi
Syluatici.

Ne prima fallant, quaſi ſint oracula, fronte,
Docto hæc iudicio ſubdita ſcripta lege.
Namq; tot errores quot in hoc ſunt codice uerſus,
E tali qualis fonte lacuna putret?
Ergo bonis, ut non ſit opus dediſcere, libris
Aſſueſcens uno diſce labore puer.

In Franciſcanum.

Defeſſum fertur portare ciconia patrem,
Hinc illa pietas ſæpe notatur aue.
Hæc eadem uirtus miſeris debetur aſellis,
Quando uehunt dorſis teq; tuoſq; ſuis.

In Franciſcanorum Miniſtrum.

Fingis in externis tibi magna negotia regnis,
Nunc Hiſpanica, nunc Anglica clauſtra petis,
Hinc noua Brunſuici ſemper præconia portas,
Quod Latij teneat ſancta ſtatuta patris.
Talibus hac ſtudijs uis Paulus in urbe uideri,
Te dudum Paulum nouimus eſſe, tace.

De Scæuola.

Mane

Mane ſalutatus reſpondit Scœuola, proſit,
Inter conuiuas ſe ratus eſſe ſuos.

Ad Cantharum.

Inter præcipuos charus tibi Cordus amicos,
Cum de te meritus nil erat ille, fuit.
Aſt ubi cardiaco patrem iam ſubtraho morbo,
Officio cœpi uilior eſſe meo.
Hoc admiranti fert hanc mihi fabula cauſam,
Vnicus eſt hæres diuitis ille uiri.
Sed cum gratuito ſcis me curaſſe labore,
Qui rebus poßi noxius eſſe tuis?

Ad Leuinum Veltheimum.

Audi præteritæ mea quæ nam ſomnia noctis,
Aurea Thitoni dum redit uxor, erant.
Viſus adeſſe mihi eſt & dicere talia Phœbus,
Surge, quid in damnum ſtertis hiulce tuum?
Intermiſſa diu ſolitæ cape plectra lyrai,
Quæq; potes propero carmina lude pede.
Extollendus adeſt tibi ſummis laudibus heros,
Inclyta Saxonici fama Leuinus agri.
Quem uicina fouet fœcundo Hornburga receptu,
Et dominum fœlix gaudet habere ſuum.
Vltra hoc quod ueteri genitus de ſtemmate fulget,
Omneq; uirtutum continet ille decus,
Vltra hoc quod bifidi præcellens gloria iuris,
Facundo ſtupidum perſonat ore forum,

Aonias etiam nuper ſpaciatus ad undas
Noſtra ſub afflato numina corde gerit,
Præcipuoq; nouem ueneratur honore ſorores,
Et colit hæc quotquot noſcere ſacra uidet?
Qui canis hic ſurdis, tanta unde incommoda, ſaxis,
Hunc ſinis hinc uanum mutus abire uirum?
Non tantum committe nephas, quin pange repente,
Accipiet facili qualiacunq; manu.
Non quia ſola placet uerno philomena ſuſurro,
Eſt etiam noſtro grata cicada choro.

Ad Eundem.

Magne uir has ſuffer fuſas ex tempore nugas,
Commodior donec cauſſa dieſq; uenit.
Altiloquas abigit tenuis fortuna Camœnas,
Et uacuæ mordax ſollicitudo domus.
Quando tulit nudos, piſtoris munera, panes,
Abiectus ſcripſit uix epigramma Maro.
Poſt ubi Cæſareo conſcendit ad alta fauore,
Pluribus intonuit principe digna libris.

Ad Eundem.

Scis heſterna mihi linquenti prandia dixti,
De porcis ſcribas carmina Corde meis.
Hi quales fuerint ignoro, huc ergo uidendos
Mitte quot, ut melius ſcribere uera queam.

Ad Eundem.

Tu tibi blanda meæ poſcis modulamina muſæ

Emun-

Emunctæ arte muſicus auris homo es.
Aſt ego porcorum grunnitus opto tuorum,
Nonne rudis uideor ruſticus eſſe tibi?

Ad Eundem.

Circæa in porcum mutatus Gryllus ab arte
Perpetuo brutum maluit eſſe pecus.
Quid mirare? uides id in hoc contingere ſæclo,
Quo ſpurcos cuncti uiuimus uſq; ſues.
Quiſquis & humanæ nos rurſum ſubdere formæ
Tentat, is infeſto mox male dente perit.

Ad Rauum.

Hos ego cuiuſdam fictos radicibus herbæ,
Tu natos dicis ſub cruce Raue uiros.
Quemq; penes fuerint iuras diteſcere ciuem,
Si ſic eſt merces has tibi conde tuas.

In Cochleam.

Per uarios, quos iam diuulgas Cochlea libros
Mentito genitum corde fatere deum,
Id licet, at fuſo teſtari ſanguine neſcis,
Cuius nulla tuo corpore gutta calet.

De Franciſcano.

Funiger uxorem cuiuſdam frater amauit,
Sed uoti compos non quijt eſſe ſui.
Tandem pollicitum petijt ſtramenta maritum
Hiſq; ipſam incluſam detulit ille domum,

Ad Coſmum.

Vicinus

Vicinus caue te ſolum deprendat Agyrtes
Nam te mandragoris adderet ille ſuis.

In organa Aegidiana.

Romula dum pietas Germanum linqueret orbem
Hac quaſi ſupremum perfuga fœcit iter,
Hoc iſtis erecta docens hæc organa turbis,
Diruit ut rabidus talia cuncta furor.
Sic reſonant ut in hoc hærens modulamine plæbes
Nil euangelicam curet ametue tubam.

Ad Hunum.

Tres eſulæ drachmas conuiuæ miſcuit Orcæ
In plænum ludens ebria turba ſcyphum,
Ille bibit nec adhuc ſibi concita uiſcæra ſenſit,
Hos inter medicus quid facit Hunc boues?

Ad Hainrichum Stapenſenium.

Noſtræ dulce decus ſodalitatis
Chare Hainrice ueni, tuumq; Cordum
Oblecta lepida dicacitate,
Lætorumq; ducenta nunciorum
Porta plauſtra, grauesq; pelle curas.
Qui uindex fidei, refer, Lutherus,
Qui doctiſſimus omnium Melanchthon,
Qui uere pius ille Pomeranus,
Qui, quotquot reliqui, ualent amici,
Quos illic pietatis alma ſedes
Vuitemberga ſuo fouet receptu.

Num

Num quicq̃ nocuit quod imprecata eſt
Vno illis inimica turba uoto
Fratrum hic colluuies cucullionum,
Et raſæ ſimul omnis ordo ſectæ.
An caſtæ ſimiles putabo rutæ?
Quæ, quo peius, uti putatur, audit,
Hoc fœlicæ magis uireſcit auctu.

Ad Senatum.

Veſtra ubi me blandis huc traxit epiſtola uerbis
Quartana tentum, credite, febre uelim.
Sex mea duraſſet ſeptemue adflicto menſes
Forteq́; collectas inter amarer opes.
Qui modo continuas ærumnas pluribus annis,
Qua ſoliti hic medici condicione, fero,
Vtpote contemptæ qua ſordent Pœonis artes,
Et ſuus eſt, qui uos ludificantur, honor,
Inſuper infeſtis totius dentibus urbis,
Quod uerum Chriſti comprobo dogma, teror,
Quas his pro meritis grates mea muſa rependet?
Digna Lycambæis res foret illa modis.
Attamen oppreſſo pro uobis oro furore,
Vt ſpirans tandem det ſua dona Deus,
Et fœlix compoſq́; ſui Reſpublica uoti
Vos habeat quales condeceat eſſe uiros.

De medicis.

Tres medicus facies habet, unam quando rogatur,

Angelicam, mox eſt, cum iuuat, ipſe Deus,
Poſt ubi curato poſcit ſua præmia morbo
Horridus apparet terribiliſq; Sathan.

Ad Gregorium Coppum.

Actutum Aonides adeſte Muſæ,
Cumq; his uos quoq; Gratiæ ſorores,
Sed cultæ nitidæque & elegantes.
Vos ueſtri Aonides decore mundi,
Tectis ſyndone Gratiæ pudendis.
Ornatus quoniam & pudicus ille eſt,
Cui mittemini, ut hunc, rogatis edam.
Veſtrum noſcitis æmulum & ſodalem,
Humanum, facilem, pium, facetum,
Clarum relligione & arte Coppum?
Ite, huic dicite plurimam ſalutem,
Oblitumq; mei admonete amicum,
Vt ſe deſidiæ ſilentiiq;,
Quorum me ſolet adligare, purget,
Si quærit quid agam, ſtatim referte,
Pertæſus ſtupidos ſues & hircos
Senſatos homines tua hac in urbe
Iſto uiſcere Iulij ſub æſtu
Geſtit, ſi modo certior quòd eſſet
Tam gratus tibi quàm rogatus hoſpes.

In Quoſdam hoſtes Euangelij.

In quadam urbe ſuum iam cœpit ſpargere uerbum,

Plebæo

Plebæo tandem uictus amore Deus.
Quod mox reſciſcens coijt uetuitq́; ſenatus,
Et ſic prudentes conſuluere uiri.
Ipſe ſuum Chriſtus regat & moderetur Olympum,
In noſtra domini nos ditione ſumus.

De Quodam Sacerdote

Solenni faciens ſermonem luce Sacerdos,
Sic populum fertur commonuiſſe ſuum.
Quis malus à ſancto uos error dogmate traxit,
Iuſſit & antiquam deſeruiſſe fidem?
Nulla magis colitis quæ ueſtri ſacra parentes,
Nulla magis pietas relligioq́; placet.
Nam quæ mille dabant mihi ſingula feſta Leones
Vix unum Galli dant modo cuncta caput.

De medico Monacho.

Medicum frequentes fœminæ monachum petunt
Nil ſuſpicare, ægros domi uiros habent.

Ad Lucanum.

Quòd ambis famulum meum, alliciſq́;
Tam te non plagiarium putabo
Vt ultro tibi eum libens relinquam.
Sed mores prius illius teneto.
Rudenti magis eſt piger caballo,
Et ſtertit medias aduſq; luces,
Vultus mane lauans ſuos manuſq́;
Non puris niſi lintheis retergit.

Exit quando lubet reuertiturq́;,
Scortatur, bibit, aleaq́; ludit,
Primas occupat accubationes,
Appoſito quoque primus in catino eſt·
Et plenum niſi ſit recenſq́; poclum,
Faſtidit, quod idem prior prehendit.
Nec quem bis poſitum cibum capeſſit,
Nec paucis nec amat quibuſque ferclis,
Sed multis ſaturari eiſque lautis·
Nulli pone ſubit, ſed ad latus ſe
Adiungit comitem, ducemque præbet.
Tantis deniq; faſtibus ſuperbit,
Vt quis ſit dubitet nec ipſe nerit,
His uirtutibus optimum miniſtrum,
Commendo meritis tibi camenis
Iſta conditione ne remittas.

In quendam Franciſcanum.

Qui uos perpetuo manſuros tempore dixit,
Falſus Franciſcus ſanctule frater erat·
Verus enim docuit Sathanæ plantaria Chriſtus
Certa, quantumuis ſero, perire nece.

Ad Sodales Erfordianos.

Diuini tuba docte lange uerbi,
Vates Heſſe, perite iure Petrei,
Et tu Pœoniæ Hunne cultor artis,
Noſtræ relliquiæ ſodalitatis

Poſtq̃ cætera diſſipata turba eſt.
Vos ueſtri ſtudioſus ille Cordus
Quondam non ita inteligans amicus,
Iſtis endecaſyllabis ſalutat.
O dulces animæ quis hanc fauebit
Fortunam Deus, ut mihi reuerti
Ad uos hinc liceat, rudi impioq́;
Et bruto ex populo aſperiſq; ſaxis,
Inter quæ male conteror ſteror que
Vt iam nil reliquum mei ſuperſit.
Non inter Geticos magis Tomitas
Infœlix miſerabiliſque Naſo
Quàm tres hic ego dego nunc per annos.
Hanc ſortem memini meos prophetas
Vos dixiſſe mihi, ſed ipſe demens
Tum ſanos monitus obaudiebam.
Qui ceu Phryx modo corrigente plaga
Expertus ſapio, Beatus ille
Audito ſibi qui cauet periclo.

Ad Lucium Typographum.

Vt mea dem uulganda rogas Epigrammata Luci,
Accipe, ſed magni uota remitte lucri.
Hoc quia neſcio quæ potiores tempore nugæ,
Quas uomit indocto quilibet ore, placent.
Non ita multus erit qui curet carmina lector,
Friguit Aonij cultusque amorque chori.

Et tibi certa loquor uerus præſagia uates
Poſt aliquot nullus luſtra diſertus erit.
Fiet & ,ut miſero tandem reſpublica lapſu,
Vna cum uera relligione cadat.
Non uidet hæc ſecors nec ſarcit damna poteſtas.
Cum tamen id,prudens ſi uelit eſſe,queat,
Nempe rutis Papæ modo barbariæq; Lycœis
Si ſtudeat doctas reſtituiſſe ſcholas.

Ad Iacobum Canterum Friſum.

Hic ne ſub Arctoo Parnaſſides axe ſorores
Tam rigidum cœlum craſſaq; rura colunt?
En ut triſtis hyems,ut ſæuum frigus adurat,
Et ſtringat nimio quicquid ubiq; gelu.
Totaq; conſiſtant torpenti flumina curſu,
Quaſq; prius nauis iam rota uexat aquas.
At tibi perpetuam(quis poſsit credere)uenam
Eliquat in dulces caſtalis unda modos.
Ergo tibi præſens aſpiret Phœbus oportet.
Et foueat medio te pia muſa ſinu.

Ad Vxorem

Quam legis è Friſo tibi littera mittitur orbe,
Qua bibit Amiſias Ennoſigæus aquas.
Languidus Emdana qua nunc Ezardus in urbe
Heu fruſtra medicam tentat & optat opem.
Quæ ſit uita rogas,tenſo nunc frigore ſtringor
Nunc ego fumoſi ſoluor ab igne foci.

Quem

Quem defoſſa palus & bubula ſtercora paſcunt.
Et multo diues piſce culina ſcatet.
Quin liquidi potu me ſuffocare butyro,
Officioſa uolens ſic for e turba, ſtudet.
Quam præſtat tenui tecum conſidere menſa,
Et ſolita, tandem ſobrietate frui.

Ad Hermannum Lentum Auricanum.

Si qua uerus amor, ſi candida corda ſuperſunt,
Cumq; pia conſtans relligione fides,
Et ſimplex probitas, ſimul omnis deniq; uirtus,
Diſpeream pectus ni tenet illa tuum.
Hoc ego perpetuo teſtabor carmine, tu te
Sic gere ne mendax forte poeta ferar.
Ne mala corrumpant ſanctos contagia mores,
Scis quales faciat quos fouet aula uiros.

Ad Ioannem Barbatum.

Tam tibi propiciam qui ſentis eſſe Mineruam,
Ingenium docta quæ colit arte tuum.
Non hoſtem debes illius amare Dionen.
Hæc duo non unius numina curat homo.

Ad Eundem.

Cum ne rara quidem ſit in ipſo miſtaœ barba
Dignum Barbato qui tibi nomen habes?

Ad Petrum Aegidium Valentianum.

Thœbanus quondam Amphion & Thracius Orpheus
Traxerunt fidibus ſaxa nemuſq; ſuis.

At qui Cæſareas toties demulſeris aures,
Plus illis conſtat te potuiſſe uiris.

Ad Ioannem Hornomannum.

Quatuor Emdana menſes meus hoſpes in urbe
Tractatum facili me pietate foues.
Pro qua nulla tibi præter carthacea dona
Poſcis, & ut muſæ ſis quota fama meæ.
Si bona contigerint docti tibi carmina uatis,
Maiores meritis aßequerere uias.

Ad Iacobum Canterum.

Pro bono medico malus Poeta
Quidam, neſcio quis, uolebat eſſe.
In tanto fuit hoc honore nomen
Iſtis, quod male nunc iacet, diebus.
Quas ergo modo me leuare criſtas
Putes, quaq; ſuperbia tumere?
Si te credulus audiam ferentem
Me bonum medicum & bonum Poetam.
Sed qui ſim ſcio, quæq; ſit facultas,
Domi mecum habito meæ, nec extra
Me quæro, breuis eſt mihi ſupellex.
Me ergo quando bonum uocas Poetam,
Longe es maximus omnium poeta.

Ad Reinhardum Carbonem.

Candidiora omni cum ſint niue pectora, quare
Cognomen fecit non tibi creta tuum?

Ad Eun-

Ad Eundem

Qui laudata alijs placeat mihi Friſia quæris,
Non adeo male ſi bos uel anas fuerim.

Ad Lauardum.

Noſtra ais æterno Picis fore ſcripta pudori
Patratum Bernæ quæ cecinere ſcelus.
Non puto, nam purgans iam monſtris omnia Chriſtus,
Hoc quoq; mox toto perdet in orbe genus.

In pictam Veritatem.

Quæ diua uirgo es? Veritas, quæ poſt duæ
Comites? Simultas atq; Perſecutio.

Ad Ianum Cornarium.

Te licet Arctous peregrinum contegat axis,
Sunt tamen hic animi pignora multa tui,
Scilicet egregij, doctißima ſcripta, libelli,
Quos uerſans magnam ſpem mihi ſumo boni.
Vt quæ fœda iacet cæcis medicina tenebris
Efferat excultum te poliente caput.

Ad Tundalum

Si male uexatum curarim Tundale natum
Promißa eſt operæ maxima ſumma meæ.
Curaui nec adhuc aliqua eſt mihi reddita merces,
Imò putas quod ſim debitor ipſe tuus.
Candida quod magnum celebret me fama magiſtrum,
Qui tantum dicar reſtituiſſe uirum.
Omnibus & gemmis, omni precioſius auro

Eſſe bonum nomen concinis uſq; mihi.
Id ſi teſte refers & credis pectore, quare
Vilia non mihi das & tibi cara tenes?

In Imaginem Eobani Heſſi.

Qui ſemel Heßiaci perſpexeris ora poetæ,
Non cuius quæres hæc ſit imago uiri.

In Saxeum Monachum.

Inuiſos monachos hæc turbida tempora perdunt.
Quorum mox nullus conſpiciendus erit.
Vt qua tamen, quales fuerint, monimenta ſuperſint,
Hæc ſub uenturos ſtabit imago dies.
Tunc hac præteriens dicet fortaße uiator,
Talia Romani monſtra Babalis erant.

In Lucrinum Bullatum Doctorem.

Quantus es ex bullis conſtas Lucrine magiſter,
Et leuis inflatum cor leuat aura tuum.
Quis patet ergo tibi nullus quod ſpiritus inſit,
Imò meros uentos quis tua uerba neget?

De Chryſophile.

Quod uideo monſtrum? nudis eſt uirga capillis
Permolito meretrix inguine Chryſophile.

In Lactantium.

Quoties tuos oſtendis & mittis libros,
Rogas meus qui Corde nam placet ſtylus.
Dicam tibi mea quæ ſit hic ſententia,
Non multum abeſt quin ipſe ſis Lactantius.

In Gryllum.

Porcarium quod Grylle me medicum dixti,
Aliquot ſubindignans diebus infrendi.
At dum mea nunc uteris febriens cura
Tranquillior deſerbet ira, quod tandem
Verum ſit hoc, quo me uocaueras, nomen.

Ad Papilum.

Eſſe malos, quod ais. credo tibi Papile dentes,
Nulla quibus fuerit nocte dieq; quies.
Aſſiduus franget, luxabit & atteret uſus
Vel duro factas ex adamante molas.

In Lidiam.

Cum iuuenis uetulam uir anum te computat, inquis,
Quattuor ætatis ſunt modo luſtra meæ.
Credo, ſunt crocei tibi dentes, hoc quia ſignum
Ante breui natas tempore prodit equas.

De mala Republica.

Qua lanius, piſtor, caupo, daniſtaq; regnat
Quæ miſeris illa ciuibus urbe ſalus?
Tam fœlix horum reſpublica creſcat oportet.
Quale quod eſuriens curat ouile lupus.

De Amantia.

Nullis uxor Apri terretur Amantia ſpectris,
In ſpeculo didicit, ſerret ut illa, ſuo.

Ad Congium.

Quòd magis iſte uorax alijs & auarior anſer,

Inuide-

Inuideat poſitum præripiatq; cibum.
Prompta patet ratio, quia raſo uertice caluet,
Vis una totum paſcere rade gregem.

De Valentino.

Poſt multa tandem uota totius plebis
Defunctus e uiuis abit Valentinus.
Tota ſua qui peßimus fuit uita
Illud ſemel bonum moriens opus fecit.

Ad quandam Fœminam

Ex uiſo locio tua uis tibi pignora dicam.
Nolo, tuos niſi tu dixeris ante uiros.

Linimentum contra Scabiem.

Vis uno multam tolli medicamine pſoram?
Id ſcio, ſed nullus Pharmacopola dabit.
Si qua triluſtris erit proba mente & corpore uirgo,
Illa det urinam, qua liniare, ſuam.

Ad Langum.

Integra paulatim noſcenti pectora uulgo.
Incipiunt mores Lange placere mei.
Candidiorq; mihi placida offert ora ſenatus,
Et redit inuerſa reſq; fauorq; rota.
Cum uocat hinc Heßi pellax me littera regis,
Vt ſuſtentandæ dem quota fulcra ſcholæ,
Quam non exiguo fertur modo ponere ſumptu
Ad Patrium muſis prouidus ille Lanum.
Quid faciam? nullum ſcio quod dabit Heſſia lucrum.

Vt quæ

Vt quæ ſit medicis non prius uſa uiris
Nec quiſquam patriæ gratus ſolet eſſe prophetes,
Si teſtis uolumus credere uerba dei.
At iuuat hoc etiam tenuem ſub principe Cordum,
Et doctos inter uiuere poſſe uiros.
Sic pia relligio, ſic inſtituendáq; proles,
Atq; calens Phœbi numine ſuadet amor.

FINIS.

EVRICII CORDI EPIGRAMMATVM LIber Octauus.

Ad Georgium Sturcium.

Hic quoq; tu prima mihi Sturci fronte legeris,
Quando tuam tuleris primus amicus opem.
Dij faciant alias poßem tibi reddere grates,
Quam quòd te uacuis ludo poeta modis.
At rectum ſi iudicium tibi, ſanaq́; mens eſt,
Hoc ſupra cunctas munus amabis opes.
Tam carum clarumq́; nihil tegit arduus æther
Quin ſuperet ſacro carmine partus.

De Marpurgenſi Gymnaſio.

Romuleas ubi nos uidißet prendere technas
Triſtis, & ad Chriſtum uertere corda, Sathan,
Nil agis armipotens, inquit, Germania, fallam
Te tamen, ac alia fraude nocebo tibi.
Dixit, & ingenuas tacite mox abſtulit artes,
Ac odia in doctos mouit acerba uiros.
His ut ſublatis paulatim priſtinus error
Surgeret, & peius quam fuit ante cabos.
Id uidet illuſtris præſaga mente Philippus,
Et cauet erecta talia damna ſchola,
Hic ubi candenti Marpurgum prominet arce,
Raucaq́; ſaxoſi murmurat unda Lani.

Hic

Hic ſimul Aonides iam conſedere ſorores,
Inſtauranſq; ſuas tendit Apollo fides.
Fœcicem patriam ſua ſi ſapiens bona norit,
Atq; hac grata uelit commoditate frui.

In Cochleam.

Quod nequis aſtricolam pertingere Cochlea Chriſtū,
Turpis lubricitas chara domuſq; facit.
Hæc quia congenitam neſcit dimittere carnem,
Pectus in hanc terram glutinat illa tuum.

Ad Opem.

Qui diuina parens hic macro uiſcere langues,
Quæ ſoleas alijs pinguior eſſe locis?
Ille mei populus quia maior ſanguinis hoſtis,
Quem perdit miſeris nocte dieq; modis.

De Principe Philippo.

Vt modo ſic priſcis pietas euanuit annis,
Diuiniq; diu delituere libri.
Quos templo inuentos ubi rex Ammonia proles
Audijt, omne ſuo depulit orbe nephas.
Thuricremos Camares, ſtanteſq; per alta Bahales,
Cunctaq; non ueri cætera ſacra dei.
Et ueteres domino pius inſtaurauit honores,
Et populum iuſſit uiuere lege ſuum.
Clarus idem noſtra parat hac ætate Philippus,
Heſſiaci late cognita fama ſoli.
Qui ſapidi poſtquam cœpit myſteria uerbi

Calua iubet terris cedere monſtra ſuis.
Et ſyncera Dei facit ut doctrina coruſcet,
Puraq́; cum uera relligione fides,
Grata id poſteritas æterno concinet æuo,
In ſupero diuus cum ſedet ille throno.

Ad Ciues.

Miror quòd ueſtros non funditus aufferat hortos
Cum tumido creſcens effluit amne Lanus.
Qui ſita ſublimi ſubiens cellaria monte
Perdit per ſummos optima uina cados.

De Papa Catello.

Ridiculo Papam dominus me nomine clamat,
Nam quis quod ſummus ſim pater iſte, putet?
Ille potens Latia dominatur ab urbe tyrannus,
Et trahit in fiſcum, quicquid ubiq;, ſuum.
At nihil ipſe lucrans aliud niſi uerbera ſeruus,
Carnigerum uoluo clauſus in orbe ueru.
Illi aurata nitent regali fercula luxu,
Et uarium fundunt gemmea uaſa merum.
Vix mihi nuda datur quòd rodo famelicus oſſa,
Queq́; olet à lotis lancibus unda, bibo.
Subiectus uehitur nitidus ceruicibus ille,
Et quaſi diuino cultus honore ſedet.
Pone ego concomitans dominum ſequor aſſecla Cordũ
Per medium, uector qua præit ille, lutum.
Ante tamen quàm ſim qualis modo dicitur ille,

Sic

Sic miſer æternum uiuere malo canis.

Ad Franciſcanum.

Fictas Harpyias falſos cecinißc Poetas,
Dicis, ut Arcadicum quæ coluere lacum.
Sed manifeſta fides patet omnibus undiq; terris,
Quæ modo uos tales ferre queruntur aues.
In ſolo erratum numero, non una trias uos,
Imo quadringentæ milleq; miriades.

Ad Principem Philippum.

Vir ſolum Alcides æruum confecit & aprum,
Maximaq; ex illo fama labore manet.
Sed tu læuis adhuc uiciſti nuper ephœbus,
Non ſemel has plures clare Philippe feras.
Hæc maioris erant tibi tunc præludia laudis,
Sæua magis monachos quod modo monſtra domas.

De Papa Catello ſe ſcabente.

Heu noua quæ rerum facies, quæ fata uiceſq;
Quæ ueterem mutat ſors inimica ſtatum?
Omnibus horrendus qui terris ante tyrannus
Magnanimos potuit uincere Papa duces,
Lataq; conducto ſibi milite regna ſubegit
Fœlices inter deliciatus opes.
Neſcit ab infeſtis iam ſe defendere muſcis,
Ac hoſtes pulices non ſuperare poteſt.

In Ambitium Pætum.

Cum tumidam miſero grauis impleat hernia burſam,

Nec ſecus ac trunco ſit tibi grata Venus.
Formoſam uxorem quæ ducere cauſſa coegit?
Quod nequis hoc Chriſtus non tibi mandat onus.

In Eundem.

Agnoſcis tibi propitij miracula Chriſti,
Quod coitu ramex non nocet ille tuo.
Mira magis res eſt nullo quod concitus æſtu,
Sed timida tantum relligione facis.
Sit tua quod digitus modo mentula, quale uel ictys
Inguen habet, ſemen quærimus unde tuum?

Ad Diaconos.

Quod pauper male Phædrus edit pia munera poſcit,
Non date ſi ſapitis, nam bibit ille bene.

De Principe Philippo.

Garrula non magis Alciden modo fama loquatur,
Secula plus fortem noſtra tulere uirum.
Qui millena domat ſimul uno monſtra labore
Singula quæ multa ſuſtulit ille uice.
Quæ ueterum mendax illi tunc fabula uatum
Finxit, in hoc laudat iam manifeſta fides,

Ad Clementem.

Mancus inutilibus manibus pede ſcribit Alethes,
Chyrographum Clemens qui dabit ille ſuum?
Danda podographa uel tibi ſaltem autographa poſce,
Si rata ſecluſa nomina fraude uoles.

In pictam Iuſticiam.

Quod

Quod nomen tibi? Iuſticiæ, quid uult ſibi libra?
Vnicuiq; ſuum ſedula pendo uiro.
Cur cæca es? nullam perſonam reſpicio, quid
Quòd neutram mancæ conſpicor eſſe manum?
Oblatum nihil accipio, cur trita lacerna eſt?
Nulla rei eſt, alios dum beo, cura meæ
Vnde tot in toto liuentes corpore plagæ?
Ex omni uirgis cædor ubiq; loco

Ad Atreum.

Tres Atreu lepores mihi dediſti,
Et tot prandia totq; forte cœnas,
Sperans me fore partium tuarum.
Sed tandem tibi libere fatebor
Quæ mens ſit mea quæ ſit & uoluntas,
Iſta hoc nomine dona perdidiſti.
Des omnes ut opes tuas, & ores
Per quamcunq; etiam ſodalitatem,
Iniuſtæ nequeo fauere cauſſæ.
Neſcit ſaxea ueritas moueri.

Ad Orthum.

Obiecto infeſti certarunt oſſe catelli,
Orthe tuus Ceſar nomine Papa meus.
Sed meus occubuit, tuus oſſe potitus abiuit,
Hoc ita non uanum tam leuis omen habe.
Nam dominis uictor Clementem Carolus armis
Supprimet & latias mox ſibi ſubdet opes.

In Colacem Sacerdotem
Sponſum.

Factum ex mero nobis Colax aquam ponis.
Poſtquam grauem tot aureis habes peluim,
Suumq; noſtri quiſque contulit munus.
Non credimus, quod garrulus toties iactas,
Præſente nuptias tuas fieri Chriſto,
Factum niſi ex aqua ſtatim merum reddas.

Ad Hermannum Buſchium.

Heſternas niſi relliquias ſuauiſſime Buſchi,
Iamq; bis appoſitum tempſeris eſſe cibum,
Pranſurus mecum propere conuiua uenito
Cum toto Charitum Pieridumq; choro.
Quandoquidem chari mihi tres uenere ſodales
Qui uultus cupiunt poſſe uidere tuos.
Oblectet tuus his doctas ſaltem lepor aures,
Cum uaria nequeam lauta palata dape.

De Glabro.

Tres ueſtrum dixi, negat hoc Glaber eſſe latinum
Hic alios, quæ non nouerit ipſe, docet.

Ad Conſtanienſes.

Accipit octo tuus Conſtantia milia præſul
Ex genitis ſacra uirginitate nothis.
Et mirare ſuos uxores ducere raſos
Quod uetet, hæc leno perdere lucra cauet.

De Marpurgenſi Gymnaſio.

His ubi

His ubi tot paſſim ueteres occidere diebus.
Magna nouas res eſt inſtituiſſe ſcholas.
Id tamen Heſſiacus diuino numine Princeps
Iam parat, & doctos perpetuare uiros.
Nam uidet exiguo recidiuum tempore uerbum,
Hac niſi continuo ſuſtineatur ope.
Tam bene de profugis meritum ergo heroa Camœnis
Muſica certatim carmine turba uehe.

Ad Vxorem.

Hunc mirare frequens populum committere ſtuprum
Autores habet, id qui docuere, deos.
Hic quia cum iuncta permixtum Naiade Bacchum,
Nulla coniugij lege coire uidet.

De Phryge.

Tam bene Rhetoricam Phryx declamauit in artem
Diſcipula ut fugeret tota repente cohors.
Nullaq́; perſuaſas poßit palinodia mentes
Ad præceptorem poſt reuocare ſuum.

In impoſtorem medicaſtrum.

Multas ſed uacuas uideo tibi pyxidas eſſe,
Præter, quæ primo trita ſtat una loco.
Vnde, uelut tibi diues eam Pandora dediſſet,
Expromis medicæ quicquid ubiq; rei eſt.
Hac condi puto quod Smyrnæi Muſa Poetæ
Omnigenis morbis utile moly canit.

Ad Næuolum.

Inter cætera quæ Marpurgi commoda iactas,
Eſſe bonam uere Næuole dicis aquam,
Hoc ipſo quoniam quo uinum uenditur ære
Et bibit hanc fuluis incola turba ſcyphis.

Laus Buſchiani Vini.

Si mera ſunt uſquam Marpurgi uina, bibuntur
In Buſchianis ædibus.
Nam uelut integer eſt incorruptuſq; uir ille
Syncæra ſic amat omnia.
Cætera cuncta ferè fatuam cellaria uappam,
Quales habent dominos, tenent.

Ad Orthum.

Quod rabidos crebro denies in carmine figo
Vt tibi ſic ipſi non placet Orthe mihi,
Sed quid agam? rarum quod laude uehatur honeſtū eſt,
Carpendi paſſim maxima lerna uici.
Iamq; meos longo nouiſti à tempore mores,
Quod nec adulari nec ſcio falſa loqui.

Ad Fuſcum.

Ferales neſcis Pætum poſuiſſe cucullos,
Geſtus & mores aſpice Fuſcæ, ſcies.
Compoſitis palmis, obſtipoq; omnia collo
Dicit, &, ut didicit funiger ante, facit.
Hoc reor uxori quod reddat debita geſtu,
Tam plænus ſancta relligione uir eſt,

Ad Annam.

Eſſe tibi

Eſſe tibi nullum iamdudum dicis acetum,
Fecißes, ipſos dum coquis Anna cibos.
Sic ieiuna diu quando conuiuia differs,
Ne ſale credo quidem tunc opus eſſe tibi.

De Papa Catello,

Hic melior Papa eſt Latiam quam qui tenet urbem,
Nam ſequitur dominum, quem fugit ille, ſuum.

Ad Leuinum Emdenum.

Conſulto mea muſa dic Leuino
Millena uice plurimam ſalutem,
Et ſi te quid agam, rogabit, inque
Me factum agricolam hic & hortulanum
Sumpto ſepe ligone ruſticari,
Ac inter Dryadaſq; Oreadaſq;
Et gratas pariter mihi Napæas
Vitam ducere ſuauiter beatam,
Gaudebit ſcio gratulabiturq;,
Nam me non ſecus ac ſuos ocellos
Poſt charam ſobolemq; coniugemq;
Inter præcipuos amat ſodales.

Ad Coniugem

Da quod edam coniunx hoc me ſub ueſpere iuſſit
Ad cænam propere Scala uenire ſuam.

In Fores Gymnaſij Marpurgenſis.

Suſpicis hac ſubiens ſublimia tecta uiator,
Quæ, ne forte roges, quis colat hoſpes habe,

Hæc dedit Heſſorum princeps habitanda Philippus
Aonio ſancta cum pietate choro.
Expulit hinc Latij ſpurciſſima monſtra Babalis,
Ante prophanus erat, nunc ſacer ille locus.

Aliud in Eaſdem.

Fœdus Phincadum nidus fuit ante uolucrum,
Sed fouet Aonias nunc domus illa deas.
Grata tuo meritas domino cane patria laudes,
Qui nouus hac Calais te modo peſte leuat.

Ad Principem Philippum.

Magnifica ædificent alij miracula reges
Quæ ſtupeat uana poſtera laude dies.
Tu ſolitos hortor miſeris diſpendere ſumptus,
Et populum clemens perge iuuare tuum.
Hoc dignum Chriſto, & uere laudabile factum
Imò boni proprium principis officium.

De Glapione.

Mortuus ut Stygias Glapion deſcendit ad undas
Magnus uicino motus in orbe fuit.
Exilijt tanto quia monſtro libera tellus,
Sed pauidæ Ditis contremuere domus.

De Eodem.

Excedens Glapion bis centum milia liquit,
Quis ſic mendicus non uelit eſſe Mydas?

De Eodem.

Romani dominum toties qui uendidit orbis,

Innu=

Innumeras Glapion accumulauit opes.
E quibus ad triſtes non tantum detulit umbras
Portitor ut caperet debita naula Charon.
Nunc Franciſcani tandem præſcripta cuculli,
Quod uiuus potuit non prius, ille tenet.

In Hiatum Granatæ ex terræmotu factum.

Factus hic eſt quando Glapion moreretur hiatus,
Quo ſteterant olim ſacra ſepulchra loco.
Hac malus ille Satan patrias remeauit ad umbras,
Dum geniti nollet lumina ferre dei?

Ad Lectorem.

Quis nam ſit noſtro Glapion in carmine quæris,
Ne dubites, Cæſar Cæſaris ille fuit.

Ad Principem Philippum.

Cum tali fœlix populus te principe degat,
Vt nullus ſimili nec meliore Lacon.
Quid poſcat cupidis ultra hæc ſua commoda uotis,
Quam longos ut te poſſet habere dies?
Vtq;, quod ex alto tibi contulit æthere, donum
Et uelit æternus perpetuare deus.

Ad Gallum.

Gallus es, & quauis leuiter conuerteris aura,
Inſuper in ſummo uis reſidere loco,
Et cupis ut magno te ſuſcipiamus hiatu,
Ac uerum uatem conſulat omnis homo.

Quàm dignam tibi dem templi pinnacula ſedem,
Et uoti fieres compos amice tui.

Ad Decium.

Quod uocitare meum poſſim, miraris, amicum,
Qui cupit infami me perijſſe nece.
Proditor a Chriſto ſic appellatur Iudas
Cur ſimili ſimilem non ego uoce uocem?

Ad Gargilianum.

Te quoties quæro toties exiſſe foras te
Proſpiciens dicit Gargiliane puer.
Qui tibi uult aliquid foris ut te prendat oportet,
Namq; domum ingreſſus non eris inde domi.

Ad Eundem.

Non nego quod ſacra populo tu dicis in æde,
Mille reſurgentis corpus ineſſe locis.
Cum mortalis idem poſſis homo, terrea moles,
Namq; domi reſidens es ſimul ipſe foris.

De Hermete.

Indoctum medicum tentans ut rideat Hermes,
Exhibet in clauſo condita uina uitro.
Et rogat iſte, ſibi dici, qui langueat æger,
Ille refert, tentæ ſub cute plenus aquæ.
Quid tua Sardinio ſic diſtrahis ora cachinno?
Verius hoc nunq̃ iudicium ille tulit.

Ad Principem Philippum.

Ruſticus eſt figulo quondam genitus Maro patre

Perpe-

Perpetuos uiuit maxima fama dies.
Tale tulere decus, tantas pepulereq; ſordes
Muneribus Phœbus Pierideſq; ſuis.
Amiſſos meruit non multis uerſibus agros
Ac alias, aula deinde receptus, opes.
Proximus Auguſto poſt conſiliarius hæſit,
Et plus quàm ſummo charus amore fuit.
Tam non improba uota mihi nec ſtulta cupido eſt
Hac ut & euectum me fore ſorte uelim.
Imò bonis bonus ut tantum ſis artibus oro,
Et doctos facilis contueare uiros.

Ad Vxorem.

Ocima ſeueſti, ueniunt zizania, quare?
Iſtius hæc uis eſt hic geniusq; ſoli.
Non illo ſinit is naſci bona ſemina tractu,
Sic ſatus hic Chriſtus pullulat ipſe Sathan.

Ad Ruffum.

Cum Latia ignotus latitarem nuper in urbe
Vni me uolui credere Ruffe tibi,
Quod cum Germano ſis ſanguine nata propago,
Speraram patriæ te meminiſſe tuæ.
Sed dubiæ bene conſuluit fortuna ſaluti
Quod tua non oculis obtulit ora meis
Poſtq̃ Romano uideo te uiuere more,
Chriſticolaſq; neci tradere uelle uiros.
Summa ſit impietas ac ultima meta neceſſe eſt,

Nulla

Nulla magis fertur Teutonis eſſe fides.

Ad Martinum Lutherum.

Non magis incæſtæ mala ſcribas nomina Romæ
Diuulgeſq; libris magne Luthere tuis.
Tres tantum Paticos uni dat Papa galero
Nunc igitur caſtos non reuerere patres?

Ad Eobacchum.

Impia Romanos quid conciliabula dicis,
Quæ nullum timeant eſſe putentq; deum?
En modo cum ſancto decreuit Papa ſenatu
Non animas noſtras poſt ſua membra mori.

Ad Eobanum Procum.

Me quoties uiſus dicta acceptaq; ſalute,
Feſtinas alio meq; ualere iubes.
Sic quoq; guſtatis Nili canis auffugit undis
Nunquid ut hinc abeas huc Eobane uenis?

Ad Gerilacum Vigandum.

Inter præcipuos mihi ſodales
Non extrema colende pars Vigande,
Quem fidum mea ſæpe res amicum
Senſit, quem Clariæ colunt ſorores.
Natorum ecce duos tibi meorum,
Hunc gaudentem equitare Lucianum
Illum plus ſtudio & libris Philippum,
Dignos nominibus ſuis ephœbos
Si mutent ea mutuo, Rogabis

Quid

Quid portent, nihil, imò te petitum
Aduenıant, neq; credo te negare
Promiſſam toties mihi capellam,
Quæ plenas referat domum papillas,
Enixam quia iam puto, & dediſſe
Nouæ ſpem ſobolis duos gemellos
Quibuſcum mea luſitet puella,
Cur illud mihi ſit pecus pudori,
Quod ſummo ubera præbuit tonanti?

Ad Principem Philippum.

Morus, & is monachus uerbiq; acerrimus hoſtis,
Præceptor fuerat clare Philippe tuus.
Tu tamen abſimilis nihil hunc imitaris alumnus,
Qui ſapis & pius es, raſaq; monſtra fugis.
Certum igitur faci i genio fautoreq; Chriſto
Hoc tibi doctorem cor tribuiſſe deum.

Ad Hermannum Buſchium.

Non ſatis Aonios quod dat tibi Muſa lepores,
Dat lepores etiam uirgo Diana ſuos.
Quis putet inceſtam Buſchi te ducere uitam,
Caſta cui facili numina dote fauent?

Ad Eundem.

Si potes arcta pati miſeri gurguſtia Cordi
Mox ades & leporem ſparge lepore tuum.

Ad Decium.

Offert egregiam facilis tibi Iuno puellam

Tu tamen hanc dubia ducere mente times,
Iratam caue ne facias tibi, ſuadeo, diuam,
Ne ſemel infœlix ut ſcarabeus agas.
Qui per odoriferum tot flores tranſuolat agrum,
In fœdum ſidens decidit inde fimum.

Ad Capum.

Ad me quæ tibi litteræ feruntur
Tanquam ad te fuerint datæ reſignas,
Et Pætum male te uidere deinde
Cauſaris, ueniamq; deprecaris.
Verbis forte fidem tuis haberem,
Donaremq; tibi, niſi queratur
Factum multus idem ſibi ſodalis.
Qui Lynceus alias uides acutum,
In cunctis tibi proſpiciſq; rebus,
Hic te Phinea & Oedipum putemus?
Si poſt hac male ſic uidere pergis,
Ne iuxta male & audias caueto.

Ad Plautum.

Num tua uina putem ſtupido uileſcere uulgo?
Qui miror quod non plus ea cara licent.
Cum fuerim multis toties expertus in ægris,
Certa quòd ad clauſas ſint medicina febres.

Apophthegma Morionis.]

Quidam morio, cum ſuum uideret
Triſtari dominum, rogare cauſſam

Cœpit, cui ſimulans iocanſq; Princeps
Sum, reſpondit, inops pecuniarum.
Tum ſic morio, magnus uſpiam Abbas
Fias, aut tuus eſto tuæ quæſtor.

De Guntero.

Scribens Auſonia Gunterus ab urbe ſalutat
Omnes affines congenereſq; ſuos.
Præter, qui rabidi ſectatur dogma Lutheri,
Hunc iubet æternos ille ualere dies.
Scilicet hoc tam cordatum ſine fraudeq; pectus,
In mores potuit uertere Roma ſuos.
Sic lyricum conſtat recte ceciniſſe prophetam,
Cum prauis fies prauus & ipſe uiris.
Qui cupis ergo pius Chriſto te dedere cultor,
Quam potes hac properans è Babilone fuge.

Ad Marcum.

Appoſitæ quoties guſtat Matho pocula loræ,
Se meliora unq̃ muſta bibiſſe negat.
Corruptum credas, ſed non eſt, Marce palatum,
Sic amat aſſuetas quilibet anſer aquas.

De Conſo.

Interrogatus hoſpes an ſenem Conſum
Cognoſceret, reſpondit, is mihi eſt ſocrus.
Non barbare, ſed dixit ille Romane.
At quo modo, qua regula, roges, non eſt
Suæ uir imò Conſus uxor uxoris.

De Epi

De Epigrammatis ſuis.

En mea nocturni rodunt epigrammata mures.
Non ſapit hæc quiſquis lector amara putat.

In Cupienum.

Hanc ubi mendicus uenit Cupienus in urbem
A patriæ profugus ſedibus erro ſuæ,
Annua uiginti fuerat ſtips pacta coronæ
Hac ſe tunc Phrygium credidit eſſe Mydam.
Inde quadraginta, ſexaginta inde popoſcit,
Mox centum, nec adhuc eſt ſatiata ſitis,
Non contentus erit, quamuis tria milia dentur,
Qualis erat nondum deſijt eſſe lupus.

Ad Plautum.

Maxima ſuſpicio eſt magicas quod noueris artes,
Tres coemens uini ſex facis inde cados.

Ad Hermannum Buſchium.

Mecum nobilis & diſerte Buſchi,
Luge, fle, lachrimare, condoleq;
Indignas miſeri uices Cratonis,
Quem ſanctiſſimus ille gloriator,
Crudeli nimium ſeueritate
Execrabilem abominationem
Inferno modo deſtinauit Orco.
Quod tam grande, roges, ſcelus patrarit,
Cuius pura fides piumq; pectus
Cunctis nouit Heſſiæ colonis

In ſan-

In ſanctum graue ſpiritum profecto.
Quod nec, mille licet ſacris litetur,
Præſens nec ueniens dies remittet.
Quod? nos ille colit ſuos amicos.

Ad Orthum.

Orthe uir hic, rabidum quem tu iam forſan Oreſten,
Atq; ſua captum Penthea mente putas,
Se ſacri plenum fert numinis eſſe prophetam,
Qui negat hoc Stygij eſt filius ille Iouis.

De Galbula.

Forte rogatus heri uinum mihi Galbula miſit
Guſtandam hoemunam de meliore cado.
Quàm puer ut ſubito diffunderet impete Dauus,
E pleno ſalijt gobius ecce ſcypho.
Quid me falſa putas lector mendacia fari?
Natali potuit uiuere piſcis aqua.

Epitaphium Miſſæ.

Præteriens hoſpes uacuum mirere ſepulchrum,
Et quæ nam maneat funera forte roges.
Cunctorum genitrix & nutrix Miſſa malorum
Debuit hac condi, dum moreretur, humo.
E noſtro tamen hæc adeo diſparuit orbe,
Vt reliquum uideas illius eſſe nihil.
Hinc ægrum patulo Papatum expectat hiatu.
Fallere quem ſimili nos ratione uelim.

Ad Quendam Fuſorem.

Hactenus hic omnes uos ſtannea fundere uaſa,
Temperet ut plumbi ſeptima libra, refers
Sat bona materia eſt, credo, ſed non bene mixta,
Externa tantum plumbea parte patent.

Ad Achantum.

Languidus eſſe tibi ſitus num creditur ille?
Ipſi qui curſu certet Achante Lano.

In Effigiem Prin. Philippi

Hic eſt ille tuus bellatrix Heſsia Princeps
Apta cui ad pacem mens & ad arma manus.
Inclytus illuſtri maiorum gente Philippus,
Stemmatis æternus ſplendor honoſq; ſui.
Quanta uide ingenua maieſtas fronte renidet,
Quàm pius humano uultus in ore ſedet.
Quodq; ſupercilium terret, quæ gratia ridet,
Ceu mixti Charites Mars & Apollo forent
Quis non intutus uereretur ametq; colonus?
O fœlix, dominus cui ſuus ille, ſolum.

Ad Plancum.

Falſa caue nobis per luſum nomina fingas
Pro factis demus ne tibi uera tuis.

Ad Druſum.

Sex fœni totidemq; Druſe faſces,
Et ter quinque datæ cubos auenæ
Pro meo mihi computas caballo,
Non tota eſt ratio, deeſt quod addas

Ipſum

Ipſum nempe ſimum quod ædit idem
Ieiunus biduo meus caballus.

Ad *Salinum*.

Quatuor aßiduis hæſerunt litibus annos
Hinc diues Thanuras, indigus inde Lycon.
Quæris uter uicit? quaſi non, quod ius ſit armis,
Et ſpretus iaceat pauper ubiq;, ſcias.

Apophthegma.

Duæ ſuum neptes auum ſalutatum
Venere, quas blanda ſenex facie accepit,
Illæ, rogatus, quæ puellulæ? dixit,
Hæc filiæ eſt ſcio, illa filij credo.

Ad *Aldum*

Factum te dicunt præfectum ſancte ſacerdos
Gratulor agricolis terq; quaterq; tuis.
Quod ſalua, ſibi quam ſperant poſt fata, ſalute,
Solas illorum depopularis opes.

Ad *Lamprilium*.

Magnificos titulos tibi, conſpicuamq; ſalutem
Poſcis & in primo uis reſidere loco.
Illos non tibi ſed uerbo cupere inquis honores,
Cuius præcipuam te profitere tubam.
Credo, ſed impatiens & auarus, & inuidus idem es
Hæc age quid talis nomina laudis habent?
Feralem licet exueris de fronte cucullum,
Qui tamen ante fuit corde manet monachus.

In Ambitum.

Ambitus quod non damus, indignaris, honores,
Quis, ſibi præreptum quod uidet eſſe, dabit?

Ad Pætum.

In libris quæcunq; meis ego crimina taxo,
Non ſecus ac in te ſint ea dicta rapis.
Iſto te ſontem facis incautiſſime pacto,
Indicioq; reus proderis eſſe tuo.
In multos roto ſaxa canes, quicunq; feritur,
Se querulo latrans indicat ille ſono.

Ad Caponem.

Expertiſsimus omnium magiſter.
Vis dici ſimul & Capo uideri.
Hoc uere facis optimoq; iure,
Expertiſsimus omnium es magiſter.

De Camillo.

Intrat languida ſentio ſenectus,
Caligant oculi mei, quia inter
Extremos male iudico colores.
Omni qui piæ ſepiæq; ſucco eſt,
Et fuligine nigrior Camillus
Errami eſt mihi candidus putatus.

Ad Eundem.

Falſum nomen habes ſed eſſe uerum
Hac poſset ratione, ſi ſupremas
Quæ ſunt ante duas gemella Lamda

Truncen-

Truncentur, coeantq; parte ſumma,
Vt ni fiat, & inde tu Caminus.
Quare ſic potius uocaris audi,
Apparente foris colore candes,
At fuligine plænus intus horres.

Ad Dardanum.

Quæ bona ſunt creta, contra carbone notanda,
Illaudata & quæ ſunt mala, uulgus ait.
Optima ſint igitur tua Dardane uina neceſſe eſt,
Quæ duplici creta bis ſoluenda notas.

Ad Mathiam Herdenium.

Sanctarum Herdeni tua ſæpe peritia legum
Obtinuit cauſſam iure fauente meam.
Nullaq; patronæ uoluiſti præmia linguæ,
Imò maiorem pollicitaris opem.
Vt memor hoc ſciat officium ſine fine uetuſtas
Iuſſit in Aonios Muſa referre modos.

Ad Hiarbam.

Elatum qui te dicit mentitur Hiarba,
Omnis, ut elatus ſis, quia turba cupit.

In Cytharam.

Doctos fides decent uiros
Quas dum recuſaſſet, ſtatim
Putatus eſt indoctior
Doctiſſimus Themiſtocles

De Melanthio

 Impius

Impius Ampullæ fuit ante Melanthius, at dum
Iam data uacca, ſacro eſt ſanctior ille Petro.

In imaginem Ioannis Baltheri.

Hac ſe caſta domi ſolatur imagine coniunx,
Baltherum quando non habet illa ſuum.
Cui ſimiles quoties uidet eße per omnia uultus,
Expectat uiui mutua uerba uiri.

Ad Principem Philippum.

Es florens ætate puer clariſſime Princeps
Sed uincis canos mente manuq́; uiros
Imò te ſeruata pium uocat Heßia Patrem
Et colit Auguſtum Muſica turba ſuum.
Pulchrius hoc decus eſt, quàm ſi porrecta tyrannis
Omnes ſubijciat totius orbis opes.

Ad Collegas Profeßores.

Vos omnes rogo candidi ſodales,
Et ſacri quot in hac ſchola Poetæ,
Collegæq́; mei, & pares amici,
Cum ſummo profitemini fauore.
Tu primum integer eloquenſq́; Snepphe
Sacræ præcipuum decus cathedræ,
Poſt hunc inclyte ſtirpe & arte Buſchi,
Et tu Cæſareo perite iure
Ferrari, atq; diſerte Loniœre,
Graiarum noua fama litterarum,
Hebreæq́; Sebaſtiane linguæ,

Et cha-

Et clariſsime tu Deci, ſimulq́;
Omni felle carens Renarde, tuq́;
Aſclepi, & Proæ, cæteriq́; cuncti
Ingens copia, principem Philippum
Dignum heroa perhennibus Camænis,
Mecum Picro leuate cantu,
Exemplumq́; ſequi meum ſtudete,
Imò diuite me præite uena.
Tantum eſt grande nephas uirum taceri,
Cuius præſidio pioque fotu
Doctæ iam melius canunt Sorores.

Ad Quendam Amicum.

Quod non hoc quoque te uideas in carmine ſæuis,
Quo noſtræ quædam nomino membra ſcholæ,
Cum tamen hic ſummus, quod ais, primuſq́; profeſſor,
Deberes illo maxime honore coli.
Parce precor ſolos uerſu proſaq́; ualentes
Huc cito, quos inter num cupis eſſe uiros?
Illis qui ſtudijs acerrimus hactenus hoſtis
Entheus aſſurgas ad grauiora ſophus.
Si tamen hoc adeo cupis innoteſcere pacto,
In libris etiam deinde legere meis.

In ingratum Diſcipulum,

Doctis omnibus à uiris probatus
Vt doctiſſimus ille Loniacrus,
Indocto tibi non placet tyroni?

Hoc quis iudicium malignus hoſtis,
Noſtri Gymnaſij inuidente corde
Suggeſſit? neq; enim tua Minerua
Id prodit, puto, qui quod inter alba
Sit diſcrimen & atra non præhendis.
Forſan ſubdolus ille Gallogræcus
Ingratus ſciolus ſuis magiſtris
Largitiſq; ſtipem pijs amicis?.
Huic, quicunq; ſit ille, ut obſequaris,
Contemne, & ſatur inuide, licebit,
Mendaci modo pone frœna linguæ.

In Gallogræcum.

Nullum, quod ſcabie ſcateas, cauſabere uictum,
Eſt alia illius quæ mihi cauſſa patet.
Temnere te noſtras audiuit Apollo Camœnas,
Et Marpurgiacæ non bene uelle ſcholæ.
Id patiens ægre deus, hæc qua crimina pœna
Vlciſcar, quis erit ſat cruciatus ait?
Quas ego, quas ſocius chorus & Tritonia ſedes
Incolit, & tanti candida turba uiri,
Tu miſer infami conſpergis homuntio labe,
Et mea non alio pectore dona capis?
Dixit, & ex alta uoluit te glubere pinu,
Stulticiæ tulit hæc Marſia fata ſuæ,
Vidit id aſſiſtens pro teq; Minerua rogauit,
Ac fatuo dixit parce precor Babyi.

Tum

Tum deus, haud impune tamen mihi prorſus abibit,
Seruatam uexet peſſima pſora cutem.

Ad Ioannem Ficinum.

Aeditus ex atauis Mœcænas regibus olim
Se dignas habuit principe diues opes.
Vtq; tui iam nunc te cernimus eſſe Philippi,
Cæſaris ille ſui gratus amicus erat.
Cum multis tamen hoc aliorum milibus æuo
Lethæis tacitus forte lateret aquis.
Ni ſacri meritum celebraſſent carmine uates,
Eſſet & Aonijs condita fama libris.
Perge igitur profugas Ficine iuuare Camœnas,
Quæq; nouæ datus es ſiſte columna ſcholæ.
Sic ultra ſupero quod diuus in æthere uiues
Hic tuus æterna laude uigebit honor.

Ad Hermannum Dornbergium
Muſas alloquitur.

Quis nouus hic cultus, quæ tanto gaudia plauſu
Aonides, quo nam tenditis ire, deæ?
Debentem ceruis nomen properamus ad aram
Inſignem fabrica ſtemmatibuſq; domum
Nobilis hic Dornbergiacis maioribus heros,
Conuiuas dudum nos cupit eſſe ſuas.
Poſt clarum multis ex milibus ille Philippum
Vnicus eſt noſtri cultor honoſq; chori.
Cætera nos hominum fex auerſatur & odit,

 Proq;

Proq́; ſua rabie barbariaq́; fugat.

Ad Eundem.

Aoniæ montes, ſyluas & luſtra ſorores,
Sed magis efflati numina cordis amant.
Non igitur mirare quod hæ tua tecta frequentant
Pro uotis quia habent, teq́; locumq́; ſuis.

Ad Philippum Melanchthonem
pro Eodem

Admirande Philippe mi Melanchthon,
Præſtans albicolæ decus paleſtræ
Tantæ laudibus eruditionis.
Quidam ſanguine litteriſq́; clarus
Synceræ pietatis atq́; recti
Adſertor, lepidiſſimus bonorum
Congerro, grauis hoſtis impiorum,
Fœlix coniuge prole rebus heros
Dornbergis ſata patribus propago
Splendens fama ſuæ nitorq́; gentis
Hermannus Clariæ cohortis hoſpes
Ceruinum colit hoc in orbe montem
Inſignem fabrica ſituq́; ſedem.
Hic te Pierio calens amore
Miratur ſtupet, unicèq́;, quoddam
Ceu numen, ueneratur oſculatur,
Virtuteſq́; tuas tuaſq́; dotes,
Te magnus quibus obruit creator,

Plena

Plæno prouehit inquietus ore.
Illud te uolui Philippe ſcire,
Vt, ſi quando per ocium uacarit,
Et fidos habeas tabelliones,
Huic ſcribas, & cum benignus inter
Vel primos numeres locæſq; amicos.
Fauces Tænariæ mihi debiſcant
Si non dignus hic eſt tuo fauore.

FINIS.

EVRICII CORDI EPI-GRAMMATVM LIber Nonus.

Ad Georgium Sturcium.

Dic intonſe mihi, qui conſpicis omnia, Phœbe,
Mœcænas quid agat Sturtius ille meus,
Qui ualeat toto quod non mihi mittitur anno
Crebra ſolens iſtinc ante uenire ſalus.
Num tuus ille tuo cultor ſub numine languet?
Fac ſaluum doctis hunc tueare uiris.
Vtq; ſacro æternum ſanxiſti carmine nomen,
Integra ſic medica pyxide membra foue.

Ad Ioannem Ruum Nordeccenſem.

Cum legerem laceris diſiecta epigrammata chartis
Inq; librum uellem ſcribere quæq; ſuum,
Increpitante lyra curuoq; apparuit arcu,
Et uellens aurem ſic mihi Phœbus ait,
Num tantum poteris committere perfide crimen,
Hæc, tibi quod faciles, gratia, dicto modos?
Quod, cum non dignos toties celebraris amicos,
Nullus adhuc cœpit, uel breue lemma, Ruus,
Qui mea proſequitur flagranti munera uoto,
Atq; patrocinio prouehit uſq; ſuo.
Si neſcis illo pius inſtigante Philippus
Hic profugum ſiſtit meq; chorumq; meum

Seruandiſq; ſuos doctis inſtaurat honores
Hac magnis poſita ſumptibus urbe ſchola
Pro tantis meritis, ſi quid ſacra carmina poſſunt,
Mando Ruum celebri uiuere laude meum.

Ad Georgium Nucleum de Vro.

Eſt hac te maior pie muſicus urbe Georgi,
Id tamen ingenij dixero pace tui,
Humanas tantum tu mulces cantibus aures,
Quando canit brutos allicit ille ſues.

Ad Marſiam de Eodem.

Poſſe graui te fama refert deſcendere uoce
Infra neſcio quot, Marſia, Gamma tonis.
Te tamen hic noſter cantat ſubmiſſius Vrus,
Ipſo quam longe culus ab ore patet.

Ad Erhardum Sneppſum.

Plurima turba tuo dicentis pendet ab ore,
Qualis ab Alcida Galla corona ſuo.
Nimirum placido qui miſces utile dulci,
Omnia plaudentis fers tibi puncta ſcholæ,
Quæ tanto lætata uiro ſua gaudia prodit,
Quod ſimul & linguas & pia corda colit.

De Tauro.

Promiſit locuples porcum mihi piſaq; Taurus
Accepi, ſanctam præſtitit ille fidem.
Ambo dedit miſſo tantum ſue munera, namq;
Conciſæ carnes indita piſa tenent.

Ad Eundem.
Si tua quæ nuper miſiſti munera noſti,
Tunc nondum notus Taure ſodalis eras.
Integra corda uolo ſi non ſint integra dona,
Hæc animo ueniunt æquiparanda tuo.
Si bona mens fuerit referenda eſt gratia, ſi non,
Perditus eſt porcus, perditus eſt & amor.

De Quadam puella.
Cum quædam, cur ſim barbatus, uirgo rogaret,
Hoc dixi uultu territus hoſtis abit.
Tunc illa, id falſum tibi uel me teſte probabo,
Quæ glabra tuta fui, facta ſed hirta petor.

Ad Labeonem.
Qui totos panes & totas ingeris offas,
Quis tibi cultelli, quem petis, uſus erit?

De Eodem.
Sorbturo patulam Labeoni porrige uannum,
In tantis faciet nil cochleare labris.

Ad Ioannem Ficinum cui
capream dedit.
Nuper in his medicas quærenti montibus herbas,
Obtulit hanc curſu feſſa Diana feram.
Ficiniq; tui ſociæ, da dixit, amicæ,
Namq; mei fuit hæc gloria prima chori.

Ad Decium.
Nuper Calchographo Deci triphono

Com-

Commendans Canius ſuos libellos
Vænales fore prædicauit, illud
Verum dixit, in omnibus tabernis
Proſtant, nec tamen unus eſt uiator
Qui uel reſpiciat rogetue quanti.
Hoc ſi quid melius modo ualebit
Tunc illos reor optimos libellos.

Ad Ambitium.

Nulla ſuccenſum prorſus tentigine dicis,
Sed ſancto domini te generare metu,
Quis modo uirginei ſtupeat miracula partus,
En tua non aliud pignora ſemen habent.

Ad Hartmannum Ibacchum.

Si collibet poteſq; dulcis Ibache
Theologicum graui ſupercilium fronte
Remittere, & poeticas pati nugas.
Illo ueni ſub ueſpere ad meam cœnam.
Pinguem tibi, ne rennuas, leporem ponam
Quem candidus lepore condiet Snepphus.

Ad Ioan. Ficinum.

Aduena quiſque fere ſibi commoda tecta profeſſor
Elegit propriam conſequiturq; domum,
Natus in hanc terram ſine limine Cordus aberrat
Nec quid habet ſobolem quo tegat ille ſuam.
Id tibi præcipuo fœlix Ficine patrono,
Conqueror, optatam fer miſeratus opem.

Sic tibi quas uni complures contulit ædes,
Impleat aſpirans prole beetq́; deus.

Ad Erhardum Snepphum,

Ingratum niſi ſit, niſi ſit tibi Sneppbe moleſtum,
Hoc conuiua tuus ueſpere quartus ero.
Nulla premat uacuæ te ſollicitudo culinæ,
Imò conſorti cura ſit illa meæ.
Cum ſocijs leporem mecum portabo columbis
His comes agnini pectoris oſſa uenit.
Innocuus caſtus ſimplex metuenſq́; dei hoſpes
Qua ſedet huic menſæ conuenit ille cibus.

Ad Auernum.

Cætera doctorum quem concio temnit & odit,
Hunc mihi tu laudas ſemper Auerne uirum,
A te non cupio bonus expertuſq́; uocari
Si ſic iudicium fallitur uſq́; tuum.

In tabulam Prin. Philippi.

Perfecta hac tabula dubitans hærebat Apelles
Pingendæ menti quam daret effigiem.
Omnes in medio uirtutes aliger Hermes
Duxit, & hic ait eſt illius archetypus.

Ad Quendam Gallum.

Nuper ad eximium quæ luſi carmina Snepphum
In te quòd ſit in his Galla corona, rapis,
Alcidenq́; putas turpi te nomine dici,
Inde nouus furor eſt terribileſq́; minæ,

Eſſe tuus tandem ſtultiſſime deſine lictor
Nec tali fruſtra ſuſpitione fure.
Hæc quoniam nullus credet tibi congrua lector,
Cui uires ſaltem iam patuere tuæ.
Nil ſiquidem minus es quàm Gallicus Ogmius ille,
Cuius tam uacuam cernimus eſſe ſcholam.

Ad Ioannem Ficinum.

Ficinum ſ faciles meum Camœnæ
Aeternis celebrate cantilenis
Qui tanto ſtudio, fauore, uoto,
Hic ueſtrum cupit emunere cultum,
Naſcentemq; ſcholam tuetur ornat,
Et ne, quod malus impiuſq; quiſq;
Exoptat, ſubitam trahat ruinam
Suppoſtis columen reſiſtit armis.
His æquas meritis referte grates,
Neſcit digna cani latere uirtus.

Ad Franciſcum Lambertum
pro miſſis in Apocalipſim
Commentarijs.

Illo quo mittis capio tua munera corde
Quæ mihi qui in bona ſũt tam quoq; grata placẽt.
Impetuoſus eras ferme omnibus hactenus hoſtis
Et poterat mores uincere nemo tuos.
Nunc patet illius fuerit quæ cauſſa furoris,
Rem tibi cum diris cerno fuiſſe feris.

 Et quæ

Et quæ multa tuam uexarunt phaſmata mentem.
Hæc rabidum facerent Pembea quemq; ſophum.
Excuſata igitur tua ſunt conuicia, ſi te
Quem titulo præfers geſſeris inde uirum.

In Quendam eorundem Commentariorum ſugillatorem.

Quod ſacer afflato ſibi Chriſti ſpiritus inſit,
Iactat qui tantum condidit autor opus.
Et tu ſubſannans potes id contemnere lector?
Quod reſerat patris cor cerebrumq; ſui.

De impoſtore Medico

Impoſtor medicus quales rudis Heſſia tantum
Miratur, ſacras conſtitit ante fores,
Et ſua iactauit ſtupidæ magnalia turbæ,
Cuiq; malo certam pollicitatus opem.
Audijt hæc adſtans & ei, heus tu, ruſticus, inquit.
Magne tua Doctor me precor arte iuua.
Errantem infœlix amiſi nuper aſellum,
Da quod, ut inueniam, ſi medicamen habes,
Adnutans medicus decerpta lathyride grana
Mox dedit, hæc patulis glutijt ille labris.
Inde domum repetens ſubito cita uiſcera motu
Senſit, & in medio eſt ſæpe ſolutus agro.
Hic ubi poſt quoddam deſedit forte ſalictum
Aſpexit paſcens cominus ire pecus.
Tum quanto potuit lætatus cœpit hiatu,

O me-

O magnum, Deus hunc quem tulit ipſe, ſophum
Sic celebre indignis parit ignorantia nomen.
Doctus apud fatuos ſordet Apollo uiros.

In coniuratos Epiſcopos.

Cum ſummo Heſſiacus deberet iure Philippus,
Poßet & inuicta uos abolere manu,
Et tamen ob miſeros, qui nil nocuere, colonos
Abſtineat, qualem creditis eſſe uirum?
Nunquid quam patrias pietatem admiſit in urbes,
Factis oſtendens exhibet ille ſuis?
A qua mitrati uos tam procul eſtis Iudæ
Quam modo uictores non faceretis idem.

In Eoſdem.

Extremæ fuit hoc malignitatis
Contra uerbigenam ferire Chriſtum
Ipſis Gentibus & feris Tyrannis
Execrabile fœdus, impij hoſtes.
Et cunctos ſemel illius fideles
Clam iunctis abolere uelle bellis,
Aſt immanior impudentia illa eſt
Id notum modo ubiq; conſtitutum
Nulla fronteq; conſcientiaq;
Tam conſtanter & improbe negare.
Hæc ueſtra eſt pietas fideſq;, qua uos
Paſtores decet eminere noſtros?

Ad principem Philippum.

Iam uires uidere tuas clariſſime Princeps
  Iuratæ contra phasq́; piumq́; mitræ.
Proq́; ſuo, quo te ſtuduerunt perdere, bello
  Exoptant pacem, ſors ita uerſa, tuam.
Nec tu difficili, tua que clementia, corde
  Accipis obſtrictam fœdere dasq́; fidem.
Vis quæ Pierius dico præſagia uates
  Credere? mendaces experiere uiros.

Ad ſeipſum de Eiſdem.

Quæ mala te uexat demens inſania Corde.
  Quid iuuat huc doctas ſollicitare deas?
His inferre uiris aliquem te rere pudorem,
  Qui pulſa frontem perfricuere fide?
Et qui non alio Chriſtum uenerantur honore,
  Bubones auceps quàm ſolet ipſe ſuos.
Nulla quibus iuſti uel honeſti cura ſuperſtat,
  Quiq́; locant uno phaſq́; nephaſq́; gradu.
Nec uaga quæ uolitet per mundum fama morantur,
  Vt ſaluas inter luxurientur opes.

Ad Fridérichum Betam.

Non cauſſa Frideriche mea ſic Beta ſuperbi,
  Nam gratum facies hoc mihi more nihil.

Ad Hermannum Buſchium.

Tot mihi das multo tibi partos ære libellos,
  Vt ſtudijs adſis docte Poeta meis.
Fert tamen hæc nullum tibi munificentia damnum

Diues

Diues enim caput eſt bibliotheca tuum.

De intemperantiæ noxa.

Perpetrata Venus torpente libidinis æſtu,
Abſq; ſiti potus & cibus abſq; fame.
Hæc tria morboſum faciunt ſuccumbre corpus,
Hæc fuge ſi longos uis ſupereſſe dies.

In Alanum.

Te meus ignotum uexit ſuper æthera uerſus,
Et placido poteras id bene corde pati.
Nunc ubi perſpectum propriò te pingo colore,
In me ueſano turbidus ore fremis.
More tuo facis hoc mera qui mendacia ſemper
Diligis, & uerum tetrius angue fugis.

Ad Lycium.

Indignante Lyci uideo te pectore ferre;
Quod ſis non alio cultus honore mihi.
Cum claris auctum titulis te præpete curſu
Eleuet in ſummam iam dea cœca rotam.
Parce mihi precor, hæc ſapiens peccata cauebo,
Ex me non alios metiar inde uiros.
Qui quocunq; ſolet mecum ſors ludere uultu,
Idem permaneo Cordus ut ante fui.

Ad Leningum iocus.

Nulla tibi proles domina eſt Leninge marita,
Non eſt quod fortem te probet eſſe uirum.

Ad Decium.

Quòd ſua Franciſcus tibi commentaria miſit,
Debetur ſancto gratia magna uiro,
Si malus (ut quidam fertur dixiſſe) libellus
Sæpe poteſt multis utilis eſſe modis,
Quanta putas illud tibi commoda ferre uolumen,
Quo melius dicit, qui dedit, eſſe nihil?

Ad Hermannum Buſchium.

Franciſcana tuos in commentaria uerſus
Legi, uenalis frondea ſerta meri.
Maximus es, certum eſt, quem fert Germania uates,
Quem colit Aonius concelebratq; chorus.
Non tamen iſte ſuo eſt laudatus carmine codex.
Nam cantari alijs debuit ille modis.

Ad Othonem Schleſum.

Vis ut Apollineo uates præconia cantu
Pontificis celebrem dulcis amici tui.
Quæ refer? an multo partum ſudore galerum,
Quæq; grauat preſſum gemmea mitra caput?
An noua quæ inſtituit poſito collegia templo,
Quoſq; tot Hallenſi fecit in urbe deos?
At noſti præſens quod talia rideat æuum,
Et fatuam uocet, hæc qui modo curat, anum,
Publica ſi ſcitor quid nam mihi fabula narret,
Reſpondet dignum uerſibus illa nihil.
Et non Pierides debent poſſuntq; ſorores
Nec genij eſt tandem dicere falſa mei.

Ergo age ſi quid tu noſti laudabile ſcribe.
Vt data pangendis anſa ſit inde modis.

Epitaphium Anſerculæ.

Quod iacet hic funus? dicta olim Anſercula uirgo,
Quæ properæ mortis cauſſa? nefanda Venus.
Quæ, dic, illa? pijs fari pudor auribus horret,
Num Florentinam dicis? ea ipſa fuit,
Quo tantum patrante ſcelus? regnante Tridenti
Præſule. phuh ſanctas ille ne paſcit oues?
Hac modo mitrati proceres uirtute coruſcant,
Qui contra Christum ſtantq; fremuntq; deum.
Illa ſacri iudex uerbi num turba minatur
Infames, quibus eſt dignior ipſa rogos?

Ad Capum.

Qui multo loqueris Cape uerboſiſſimus ore
Qua caſſum uerbo te ratione ferunt?

Ad Delium.

Quis ille ſit meo, rogas, Capus in uerſu,
Non alius id quàm quem uocabulum ſignat.
Nunc litteratum ſcire te uirum credo
Quòd impotens intelligatur hoc Gallus

De conuiuis ſuis.

Conuiuas medicos euangelicoſq; ſodales,
Excepi tenui (mos meus ille) cibo.
Vtraq; magnificum quia temnit turba paratum,
Hæc præſens animæ, corporis illa malum.

In Commentaria Naſicæ.

Naſicana uides amice lector
Commentaria, maximum uolumen,
Quæ quàm ſint bona tute iudicabis,
Nam peruoluere non mihi uacauit,
Aſt hæc ipſe, quod audio, met autor
Paulinas ſupra Epiſtolas, & omnes
Antiquosq; nouosq; ubiq; libros
Commendat, probat, eucbit, locatq;
Sacris proxima biblijs, quid hæres?
Corrugasq; tuam ſubinde frontem?
Si ſancto nequis huic Dei Prophetæ,
Vano credere qui potes Poetæ?

Ad Adamũ Cratonẽ de Papa Catello.

Sancta ſacerdotum tandem connubia credo,
Et Chriſtiana comprobo,
Nec puto mitratos bis inde reſiſtere patres,
Tales ubi iam nuptias
Ipſe (quod haud unquam uidit Germania) Papa
Sua colit præſentia.

Ad Eundem Papam Catellum

Heu miſerande pater, nudo nunc paſceris oſſe,
Et tibi ſub menſa uix recubare datur.
I nunc & uetita manda ieiunia carne,
Et ſummo iactia te reſidere loco.

In deformẽ & ſuperbam famulã.

Si quo plus magnum quid præſtet, plus quis amatur.
Cur nemo famulam te cupit eſſe ſuam?
Cum pauperrima ſis & deformiſſima uirgo,
Maxima res, quod adhuc eſſe ſuperba potes.

De Phaliſco.

Theologica uertiginoſus à cœna
Sermocinaturus Phaliſcus aſcendit,
Et cum diu clauſis grauatam oculis frontem
Mulſiſſet, hoc exordiens modo fari
Sitij & nihil dediſtis mihi bibere, inquit,
Simulq; nauſeante pronus è uentre
Sex pridianæ crapulæ uomuit libras,
Qualis Phaliſus ille concionator?
Suum ipſe qui ſtatim redarguit uerbum.

Ad Othonem Schleſum.

Fere omnium, qui ſunt ubiq; diuorum
Relicta legit oſſa præſul Albertus,
Multoq; clauſa monſtrat auro & argento,
Quo pulchrius ſpectaculo nihil uidi.
Sed tres adhuc abeſſe uirgines diuas
Queror, Fidem, Spem, Charitatem, eas miror
Cur negligat, cum maxime tamen his cultis
Fundata Chriſtiana relligio ſiſtat.

In imaginem Alberti Epiſ-
copi Maguntini.

Quod potuit ſumma clariſſimus arte magiſter

Picta Maguntini præſulis ora dedit.
Intima quæ mens eſt illius, qualeq; pectus,
Egregie factis exhibet ille ſuis.

De Gallo.

Non reor exoſum linguas contemnere Gallum
Quis idem plures ore habet ipſe ſuo.

Ad Othonem Schleſum.

Pium cor offert & bonam uoluntatem
Epiſcopus tuus in repullulans uerbum.
Monitus, ſuos ut inter aureos diuos
Fidei uelit Speiq; Charitatiſq;
Meminiſſe, quo nam ſint ſitæ loco quærit,
Vt inde lata poſſet oſſa inaurare.
Dic optimo patri nihil magis illarum
Supereſſe, præter uana nomina, & tantum
Conſtare, primo eas ſalutis exortu
Vixiſſe, in impiaq; mortuas Roma.

Ad Petum.

Non exis niſi te comitanti pone miniſtro,
Idq; ideo, dicis, quod male Pæte uides.
Si uerum eſt, non ille ſequi, præcedere debet,
Tranſmiſſum furor eſt ſi retro monſtrat iter.

Ad Sebaſtianum.

Paucos docte Sebaſtiane uerſus
In pictam faciem tuam, & deinde
Dum nouus iaceres nuces maritus,

Feſtinis cecini tibi Camœnis.
Horum terq; quaterque iam petiui
Exemplum,ut,quota pagina,adderentur
Aedendis Epigrammatum libellis.
Sed tu, ceu tibi ſordeam, quod oro
Es ſurda nihil executus aure.
Hoc quid ſuſpicer eſſe? num pudet te
In noſtris celebrarier libellis?
Quod multus cupiat decus mereri,
Ex his ſi cupis eximi,uidetur
Exemptus quoque corde Cordus eſſe.

Ad Eundem.

Vt mirus ſit oportet ille pictor
Qui doctiſſime te Sebaſtiane
Plus prima niue candidum ſodalem
Sic carbone nigro poteſt referre.

Ad Eundem.

Vis ophthalmicus ut tuas celebrem
Iucundiſſime nuptias ſodalis,
Te famæ uideo meæ fauere.
Ex uili quia Cherilo cupis me
Smyrnæum fieri repente Vatem.
Eſto, ſobrius abſtinenſq; uiuam,
Et iuris mihi me mei relinquant,
Hic qui conueniunt pares amici,
Cœcabit tua me tamem puella

Nam

Nam quis Lynæus, armiger uel ales
Hunc impune queat uidere ſolem?

Ad Eundem.

Iuſſa tuam Venus in templum deducere ſponſam
Abnuit, & nexa noluit ire mora,
Mox percontanti cauſſam rerum patre, dixit,
Mortalis diuam non uolo uincat homo.

Ad Eundem.

Pauperis exiguum Cordi non deſpice munus,
Imò uide mentem, non data dona, meam.
Namq; ſuum infeſtus mihi Plutus denegat aurum,
Sed ſacra quid maius Calliopea dedit.

In Principis Philippi Inſignia.

Quòd ſis illuſtriſſimus & fortiſſimus heros
Ex ſignis uideo magne Philippe tuis.
Hoc rutulæ ſtellæ monſtrant patuliq; leones,
Ser a fac id dicat poſt tua fata dies.

De Quodam Caupone.

Cum quidam hic celebres diuerteret hoſpes in ædes
Apponi iuſſit maxima uina ſibi.
Quæ dum guſtaſſet ſummis libata labellis,
Decolor amiſſo uappa ſapore fuit.
Ille tamen ſuperæ ſimulans mera nectara menſæ
Dandam, qua biberet fracta, popoſcit aquam.
Audijt hæc adſtans puer, &, non eſt opus, inquit,
Octo cauens urnis miſcuit ante pater.

De pue

De Puero in Lunam flante.

En ueſpertinam flatu reſtinguere lunam
Paruulus hic credit fuſte petitq; puer.
Magna hæc ſtulticia eſt, ſed longe maior, idem quod
Tentat in exorto ſole mitrata cohors.
Illa ſuapte olim cum tempore ſponte facesſet.
Hæc nullo hellebori diſcutictur agro.

In Vallum Caßilienſis
Arcis.

Hoſtibus eſſe meis putor inſuperabile uallum,
Noluerit cuſtos, ſum leuis umbra, Deus.
Sim quota ſpes igitur, ſolus fiducia Chriſtus,
Hæc tua qui princeps tecta manere uelis.

Ad Franciſcum.

Magna tibi eſt ſacri Franciſce ſcientia uerbi,
Et facilis pleno pectore uena fluit.
Vna cui in multum creuit Pandecta uolumen
(Hunc toties titulum per tua ſcripta ci'tas)
Quantumuis doctum ſuperare uideris Othonem,
Paruo pandectas edidit ille libro.

Ad Eundem

Qui uix immenſo pandectam codice finis
Quantum pandectas accumelaris opus?
Inſano fuerit fidentior ille Darete
Qui magnis ſperet te ſuperare libris.

De Vino Marpurgenſi.

Ad ie-

Aduectum à Rheno Marpurgi ad mœnia uinum
Ferbuit, erupto proſiliitque cado.
Salua ipſum uoluit magis integritate perire,
Quàm quòd corruptum perderet hic alios.

In Chriſtianum Fortem.

Quàm non conueniens habere nomen
Videris mihi Chriſtiane Fortis.
Qui primo taratantaræ fragore
Ducem deſeris abnegaſque Chriſtum,
Abiectiſque tuæ ſalutis armis
Pollutum colis impius Babalem.
Aut mores igitur tuos reforma,
Aut ſis perfidus Antichriſtianus.

Ad Ioannem Rhodurgum.

Si poteris ſophica contentus uiuere cœna,
Et Cordi nugas ferre ſaleſq; tui.
Extremo conuiua meam pete ueſpere menſam,
Verbis non epulis te ſaturabo meis.

Ad Sodales.

Omnes adeſte Muſici cachinnones.
Omneſque uobiſcum ciconias, ſannas,
Ronchos, ſales, iocos, & auriculas ferte,
Et liberorum quinque plauſtra ſyllorum.
Amabiles habeo mihi domi nugas,
Vobis meis quas exhibebo conuiuis,
Hac lege, ut unum quiſque numulum ponat.

Gratis eas proferre delicias nolo.

Ad Eoſdem.

En uobis lepidum nimis libellum
Cuiuſdam cœleberrimi Poetæ
Miſſum Lypſiaca mihi uſque ab urbe
Quod primum uolo ferculum uorari.
Si quem dentibus id facit ſtuporem,
Illius medicina portulaca
Infertur, Quid ohe quid ille riſus,
Quid uult Sardonicus ſibi cachinnus?
Tam claram cohibete quæſo uocem
Ne quis nos putet ebrios uiator.

Ad Eoſdem.

Forte ante ſex trieteridas fuit quidam
Non incelebri laude Lypſiæ Vates,
Perenne cui Myricio manet nomen.
Hunc maior auctiorq; litteris autor,
Dictus Myricianus, iſte præcellit,
Et uos eum tantum uirum refutatis?

Ad Camitianum.

Egregios fama eſt iſtic emergere Vates
Diuite quos aluit Lypſia ueſtra ſinu.
Hos mihi, ſi noſti, pie Camiciane ſaluta,
Si modo ſyncœros noueris atq; pios.
Nullus ubi inflato tumeat ſub pectore faſtus,
Si uana faciles ambitione uacent.

Heus

Heus caue ne facias, miſſus uenit ecce libellus,
Qui tales illos non ait eſſe uiros.
Sed plane aduerſis infeſtos moribus hoſtes
Spargemus uerbi lumen ubiq; ſuum.
Hos ego non homines ſaluere, ualere iubebo,
Dum reſipiſcentes indoluiſſe ſciam.

Ad Hermannum Buſcium.

Barbara dicta fuit cuidam olim Lypſia Vati
Sed tunc non celebres protulit illa uiros,
Nunc uero quantos eduxerit aſpice Homeros.
Et lege præclarum, quem accinere, librum.
Quid rides, ſtrepero numeras quid carmina roncho?
Q. [illegible] miſeros homines ter q; quater ſonas?
Poſt adeo horrendos uultuq; miniſq; Daretas,
Quos ſupera fudit mille Lutherus ope,
Ille trianus eſt, qui bellum finiet, ordo,
Et ſua Belicolis ocia reddet haris.

Ad Lypſiam.

Quis non artifices tuos Poetas
Fœlix Lypſia ciuitas ſtupeſcat?
Qui quinta regione ſeptimaq;
Poſſunt hexametros parare uerſus:
Quod non ille prioribus ſub annis
Diuinus potuit Maro nec ipſe,
Quo non doctior alter eſt, Homerus,
Ergo terq; beatior quaterque

Hoc

Hoc quam Mantua tunc eoque Smyrna.
Tantis Lypſia Vatibus ſuperbi.

Ad Apollinem.

Dic intonſe deus, tua quid tibi Lypſia fecit,
Quo tantum potuit demeruiße malum?
Vt tam ridiculis iuuet hanc temerare Poetis,
Qui uetus obſcurent diminuantq́; decus?
O cæcos homines, omni qui prorſus honeſto,
Omniq́; ingenio iudicioq́; carent.
Des ſanum precor his aliquando pectus, ut olim
Stultitiam uideant illachrimentq́; ſuam.

Ad Micyllum.

Tracta ſuauiter hunc tabellionem.
Iucundiſſima namq; dona, nempe
Cuiuſdam tibi, quem uides, Poetæ
Fert perridiculum, Micylle, librum,
Fœtum Lypſiacæ nouum Mineruæ,
Quem, nullus niſi ſit tibi lienis,
Ter centum ſcio, conſpues cachinnis,
Sat ride & lege, deinde litteratas
Per cænas propere hinc & inde mitte
Pluresq́; exhilara tuos ſodales.

Ad Lypſiam.

Mœſta tuum quid adhuc deploras Lypſia Caprum?
Talia qui melior damna rependet, habes.
Scilicet æqualem ſimili pietate Cochlæum,

Magnum, quæ ſtat adhuc Romula ſecta, uirum.
Hic quoque Tartareas ſi cras deſcendat ad umbras,
Non poteris, quod ſis orba relicta, queri.
Ecce duos alios tibi, maxima lumina, Vates,
E gremio qui nunc emicuere tuo.
Qui cum magnanimo ſub prima ætate Luthero
Audent pugnaces conſeruiſſe manus.
Si ueniunt tanti uerno ſub ſydere fructus
Qualia maturæ tempora meſſis erunt?

Ad Papam.

Quotquot erant, qui te cuperent defendere, patres,
Vindice Martini ſuccubuere manu.
Aſt nunc ecce duos iuuenes ſanctiſſime præſul
Queis ducibus decori reſtituere tuo.
Tantis hæretico telis & uiribus hoſti
Non citra ſuperam congrediuntur opem.
Tam claris igitur ſe iactet Eliſter alumnis,
Quæq; dedit tantos patria terra uiros,
Læteturq; tua celebris pietate Cochlæus
Hos bello ſocios implicuiſſe ſuo.

Ad Loniœrum.

Heſterna tibi Loniœre luce
Dixi de celeberrimis duobus
Quos iam Lypſia prædicat, Poetis,
Poſt tot magnanimos duces ſubactos
Hoſti congredientibus Luthero.

Ficulnis

Ficulnis tamen admodum macheris,
Horum nomina uis tibi referri,
At non, quæ fuerint, ſatis recordor,
Et miſſus liber eſt meo Micyllo.
Hic illas Apinas leueſq; tricas
Si legit, uereor, ne utraſq; ad aurse
Crebris os lacerauerit cachinnis.

Ad Lectorem.

Quis iam Lypſiaco perſuaſum uate Lutherum
In cinere & ſacco pœnituiſſe neget?
Et raſo ueterem capiti impoſuiſſe cucullum,
Quoſq; unquam ſcripſit mox reuocare libros?
Tantus in his lepor, & tanta eſt facundia ſcriptis,
Flexanimis credas ipſius eſſe deæ.
O utinam tales prodiſſent Rhetores olim,
Exulit ut naſcens hæreſis illa caput,
Non ſacer indignis quereretur luctibus ordo,
Quod tantas fruſtra ſæpe dediſſet opes.

De Eiſdem.

Incuſatus Apollo quod duobus
Iſtis Lypſiacis fauens Poetis
Contra Chriſticolam uirum Lutherum
Hunc dictauerit impium libellum,
Irato grauis ore ſe negauit
Vllum noſcere Lypſiæ Poetam.

Haſenbergij & Myriciani ad Cochlæum, querela.

Inſignes duo Lypſici Poetæ
Et non nomine Rhetores minori
Haſenbergius & Myricianus,
Has triſtes tibi mittimus querelas
Vindex Romulei Cochlæe patris,
Oramusq́; tuo iuues miſellos
Nos patrocinio uocante cauſſa.
Quem tot menſibus arduo labore
Scriptum miſimus optimum libellum
Multo crimine peßimo Luthero,
Non dignatus (ut eſt ſuperbus) ille
Audito titulo ſemel uidere,
Nedum uoluere, maximis cachinnis
Reiecit, temerariasque nugas
Dixit, tam procul eſt adhuc, ut idem
Perſuaſus doleat. Magis nefandum
Audi dedecus: Hunc procax iuuentus
Accepit, miſeris modiſq; luſit,
Illatam quia ſordidam in latrinam
Inuento hic minio notauit, & ſic
Spurcis labibus illitum remiſit.
Ex his, quod male nos habet, diebus
Merdoſos rude nos uocat Poetas
Vulgus, pone ſequens & ipſa pubes
Iacto contemerat luto, nec uſquam
Præ magno licet egredi pudore,

Hanc ignominiam malamq́; famam,
Tu compeſcueris ſtatim & leuaris,
Si præſens ſemel hac in urbe noſtros
Ad ciues habeas ſeueriorem,
Hæc quæ deſpuat auſa, concionem.
Eſt, audire, aliquid, grauem Cochlæum.

In Epigramma, quòd Oecolampadium uirgis cæſum traducit.

Cæſum ne uirgis Oecolampadium dicis?
Hæc quæ tua eſt procacitas leuis ſcurra,
Adeo ne nullam, ô impudens, habes frontem?
Vt neſciente conſcientia & mundo
Tantum audeas mendacium in uirum tantum
Confingere, & tuis eum palam merdis
Spurcare? quem ſurgens ubiq; iam Chriſtus
Splendere uult rutilum domus ſuæ lumen.
Non tam ſacrum Baſileia ſæuit in uerbum,
Vt innocentes illius profeſſores
Tantis, ut hic tu fingis, afficiat probris,
Imò colit ueneratur atq; ſuſtentat.
Quod ſi ſenatores in urbe ueſtrate
Dignas tuis auſis dari uelint pænas,
Ipſum ſtatim te publico in foro cæſum
Cognomini ſuperalligans equo lictor]
Circumfluum iam ſuſq; deq; per uulgus
Produceret, ſequente poſt iuuentute,

Quæ, non uacantibus interim manibus, clamet
Lutulentus obruendus eſt luto Vates.

Ad Scipſum.

Ecquid tam nihili iuuat inſaniſſime nugas
Vſque adeo multis exagitare modis?
Quis furor eſt graciles, quos præſtat temnere, uermes
Armata pilis uelle Phalange ſequi?
Non opus ut tantis feriantur Ephemera telis,
Quando ſuo tamen hæc ſint peritura die.
Iſta legens, tanti fieri, lætabitur hoſtis,
Seq; uel infami nomen habere libro.

Ad Haſenbergium & Myricianum.

Magnam uos mihi gratiam feretis
Iam uerſu celebres meo Poetæ
Nemo uos genitos prius faciebat
At lectis Epigrammatis rogatur
Quis ſit, quem quoq; ſcripſerit libellum
Haſenbergius & Miricianus.

In Herebornum Aemulum Fran ciſci Lamberti.

Grande in Franciſcum te fers ſcripſiſſe uolumen
Hac & uana tibi gloria parte placet.
Quinq; licet ſcribas magnorum plauſtra librorum
Nil agis, his armis præualet ille tibi
Quare conſilium fuerit temerarie noſtrum,
Vel bene uel, ſi uis uincere, ſcribe nihil.

Ad Decianum de Adamo Cratone.

En hic quem petis alloqui Cratonem
Præfectum Heſſiæ Epiſcopum, Quid hæres?
Mitratum tibi forte & infulatum
Auratoq; pedo, & rigente palla
Inſignem, & famula ſequente turba
Stipatum dominum & ferum tyrannum
Eſſe ipſum Deciane credidiſti.
Tales Pontificeſq; præſuleſq;
Romanus Babel exhibet, ſed ille eſt,
Quales Paulus Epiſcopos adornat,
Humanus, facilis, pius, benignus,
Caſtus, ſobrius, eruditus, inſons,
Non turpis cupidus lucri, hoſpitalis,
Omnes deniq; quas habere dotes
Debet qui populum docet, miniſter,
Pleno præſtat is abſolutus orbe.

Ad Ioannem Ficinum.

Quid tanto afficeris ſapiens Ficine dolore,
Triſticiæ frœnum pone modumq; tuæ.
Nulla fata queunt unquam ratione moueri,
Ibimus hanc omnes, cum uocat hora, uiam.
Quem luges ſupera regnans Iacobus in arce
Cum diuo fruitur perpete pace choro.
Fœlici potius congaude lætus amico,
Tantis, inuidia eſt, indoluiſſe bonis.

De Iacobo Blanchenemio.

Blanchenemus hoc migrans Iacobus ab orbe,
Quid me Lucſani funera fletis? ait.
Hæc mihi in æternam mors eſt quaſi ianua uitam,
Viuere qui ſperat non timet ille mori.

Epitaphium Eiuſdem.

Sordide munde uale, puræ nouus incola ſedis
Rideo tam gratus quod mihi carcer eras.
Scilicet hanc quoties prius actæ confero uitam,
Sunt mihi deliciæ luctus & umbra tuæ.

De Comitijs Spirenſibus.

Mitrati proceres magno coiere paratu,
Qua patet irriguo morbida Spira ſolo.
Forte rogas toto quid nam modo menſe uoluit nt,
Magnas res ſacræ relligionis agunt.
Nam de ſeruando certatum eſt hactenus eſu,
Hoc quem Romuleus tempore Papa iubet.
Nulla ſed in potu (iterant modo pocula) lis eſt.
Nonne pium Chriſti ſpiritus agmen agit?

Ad Nemetes.

Reges, Pontifices, Duces, Barones,
Plena iam Nemetes fouetis urbe
Quod magno ſcio commodo eſſe nobis,
Ex illa quoniam celebritate,
(Si nil eſt aliud quod hic ſit actum)
Tantum ſpero decus lucrumq; quondam.

Auctorum ſore mercimoniorum,
Vt ueſtros liceat uidere ciues
Paruo tempore poſt negotiari
Reges, Pontifices, Duces, Barones.

Epitaphium Matris Eobani
Heſſi.

Hac quicunq; ſubis uiator audi,
Notus toti Eobanus Heſſus orbi
Venit forſitan & tuas ad aures.
Illius Catharina mater olim,
Hoc ſub cespite condor, id uolebam.
Hoc me phas mihi iactitare nato
Quo tota Heſſia uate gloriatur
Aeternum decus & perhenne nomen
Extremos apud exteros habere.

Ad Quendam Epiſcopalem Aulicum.

A duce qui Chriſto noſtrum cognomen habemus,
Cur nuſquam ſequimur quo praeit ille, rogas.
Pauper erat, ſed nos locupletes eſſe ſtudemus.
Pacificus, truce nos ſumimus arma manu.
Adiutor miſeri, nos conculcamus egenos.
Verax, in noſtris frauſq; doluſq; labris.
Subiectus, domini cupimus nos culmen honoris.
Castus, nos omnis ſpurcat agitq; Venus.
Deniq; quaecunq; eſt illius caetera uirtus
Aduerſum in uicium transfuga turba ſumus.

Neſcio, ſed toto fieri ſic conſpicor orbe.
Et ſimili tecum ſæpe dolore queror.
Forte quod extantes, mitrata caterua, columnæ,
Qui noſtrum debent eſſe uoluntq́; caput.
Hæc pro ſaluifico dent exemplaria uerbo,
Et uitam doceant ſubdita membra ſuam.
Integra ſyncerum qui plebs ſeruemus odorem,
Corruptus tabo ſal ubi noſter olet?

Ad Rochum Dilherum.

Tot æreos argenteoſq; Cæſares
Plæno tenes perite Roche ſcrinio,
Sed inter illos unus aureus Nero
Grato tibi plus cæteris uultu placet.
Quas longa non uariat uices antiquitas?
Qui peſſimus tyrannus ante ſæuijt,
Incredulisq; pulſus eſt a gentibus,
A Chriſtianis optimus colitur uiris.

Ad Eundem

Non Conſtantinum, non Traianum, neq; Neruam,
Nec quicunq; inſons eſt tibi Cæſar, amo.
Hos bonus ipſe bonos ſerua tibi, ſed mihi detur
Vt ſimili uati peſſimus ille Nero.

Ad Georgium Bœneburgum.

Rarus in hoc certe monſtratur nobilis æuo,
Qui referat mores uir generoſe tuos.
Tam pius, humanus, cordatus & integer inſons,

Tam bo-

Tam bonus ex omni deniq; parte places.
Talia formarunt ſanctæ tua pectora Muſæ,
Quæ comitem te ſic excoluere ſuum.

De Nigro.

Non uult inuiſo Niger aſſentire Luthero,
Hoc etiam uerum ſi modo dogma foret,
Seq; ob id æternas trudendum ſciret ad umbras,
Debere irato Tartara ferre deo.
Quàm ſit atrox odij mortales diſcite morbus
Impia qui lento corda furore tenet.
Quid raſam miramur adhuc non credere turbam,
Hæc ſi uulgaris dicere uappa poteſt?

De Tito.

Ingentes ſacram tabulas appendit ad ædem,
Quidam ſe iactans omnia ſcire Titus.
Quid faciam? qua nunc alios ratione docebo?
Quando, quod ipſe ſciam, liquerit ille nihil,

Ad Hainrichum Lerſinerum.

Iam quater oratus proprio eſt pro limine Princeps,
Sed nondum mihi dat, nec tamen ille negat.
Quam mihi certa uelim tandem reſponſa referri,
Poſt longas etiam qualiacunq; preces.
Gratius officium eſt cito non tribuenda negare,
Quàm uana dubium ſpe tenuiſſe uirum.
Te precor ego meum fœlix Hainriche patronum
Hic agere, & pro me ſollicitare uelis.

Tu mel

Tu molles aditus tu commoda tempora noſti,
Cum dedit optatas fauſta Diana feras.

De Melanthio·

Omnes fauentes iudices & aulicos
Habet impius Melanthius, coram quibus
Non tam mala eſt nec iniqua cauſſa, quam ſtatim
Non uincat, exploſis foro aduerſarijs.
Mirum nihil, maiore quando gratia,
Quam maximus uel Cicero uel Demoſthenes
Patrocinentur atq; præſto ſint ei
Tot ſplendidi reges Epiſcopi ac Duces,
Et aduocati plurimum urbium dei.
Adſtent ſerenis & precentur uultibus·

Ad Ioannem Ficinum·

Te Ficine meum rogo patronum,
Et fidum, ſimul obſecrans, amicum
Vt quam munificus domum Philippus
Se digna mihi liberalitate
Addixit, dedit & parare iuſſit,
Hanc tu tradere non uelis grauari.
Sat iam ſat miſer hinc & inde cinclus
Erraui· propriam ſemel domunclam
Fœlix cochlea poßidere uellem.

Atropos ad morientem Germanum.

Non meritis in me uеheris Germane querelis
Non tua crudeli deſeco fila manu·

Sed dum perpetuo nimis hument ſtamina potu,
Ipſa ſua multo pondere ſponte cadunt.

Ad Synodum Marpurgenſem ſuper
Sacramentaria cauſſa conferentem,

Inſignes uerbi proceres argute Luthere,
Suauis Oecolampadi,
Magnanimis Zuingli, pie Snepphe, diſerte Melāchthō,
Fortis Bucere, candide
Hædio, præcellens Oſiander, ſtrenue Brenci,
Amice Iona, acer Crato,
Ac reliqui, bona turba, uiri, quos inclytus Heros
Princeps Philippus accijt,
Chriſticolæq; ſuos urbes miſere miniſtros,
Et Præſules Epiſcopos,
Vt noua tollatis diuiſæ ſchiſmata ſectæ,
Veramq; monſtretis uiam,
En cupido ſupplex uobis Eccleſia uoto
Veſtros cadit flens ad pedes,
Atq; per intima uos communis uiſcera Chriſti
Adiurat, obſecrat, monet,
Vt ſanctis ſtudijs ſuperi pro laude tonantis,
Et omnium fidelium
Quærenda (hæc uobis incumbit cura) ſalute
Tractetis hoc negocium,
Vnde ratum iudex decretum prædicet orbis
Sancto profectum ſpiritu.

FINIS.

QVAE INTER EXCVDENDVM DE-
prauata ſunt, ſic corrige, Illius tantum admonitus, ut dum uerſus numeras, titulos & lemmata tranſilias.

Folio		Colum.	Verſu	Pro	Lege
B	7	1	2	*cum*	*quod*
C	1	1	17	*pœnituit*	*indoluit*
C	4	2	6	*Malæ*	*Mariæ*
D	1	1	7	*emiſiſse*	*emiſſe*
D	5	1	*ultimo*	*unontētus*	*uno cōtētus*
F	6	2	17	*nulli*	*nulla*
H	4	2	20	*referent*	*referant*
K	1	1	4	*gemet*	*gemat*
K	4	4	10	*cōmendā*	*commendem*

Quæ cætera ſunt in punctis errata tute expunge.

Marpurgi Franciſcus Rhodus excudebat, Anno Domini,
M. D. XXIX.